



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

Liber LXXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)



HISTORIA  
 ECCLESIASTICA.  
 LIBER LXXVIII.

HONORIUS III. PAPA.  
 FRIDERICUS II. ROM. IMP. HENRICUS IMP.  
 CONSTANT.

§. I.

*Honorius III. Papa.*

Innocentio Papa fati functo, non una Sæcul. XIII.  
 plus die Sedes Apostolica vacavit, A. C. 1216.  
 nam die decima octava Julii anno  
 millesimo ducentesimo decimo sexto  
 Cardinales collecti in Sede Apostolica  
 successorem collocarunt *Concionem Sa-*  
*Hist. Eccles. Tom. XIX.* F f *velli*

HISTO

Sæcul. XIII. *velli* Romanum, qui olim Cardinalis  
A. C. 1216. Diaconus, titulo S. Luciae, tunc erat Car-  
*Ric. S. Ger.* dinalis Presbyter, titulo SS. Joannis &  
1216 *Abb.* Pauli. Is, sedente Clemente III. Papa,  
*Ursp. eod.* Ecclesiae Romanae avario praefectus, cum  
*Cenc. ap.* omnium reddituum curam sibi haberet  
*Baro. an.* commissam, eorum Catalogum ex anti-  
1192. quioribus commentariis conscribere ag-  
gressus est, ceteris omnibus utiliorem.

Hunc anno millesimo centesimo no-  
nagesimo secundo, Coelestino III. ad Ec-  
clesiae clavum sedente, perfectum dedit,  
praefixitque Operi titulum: *Liber de*  
*tom. 2. Mus.* *Censibus Ecclesiae Romanae*, cum necdum  
*Ital. p. 167.* aliud Beneficium Ecclesiasticum, quam  
*Sup. Lib.* Praebendam in Ecclesia S. Mariae Majo-  
*LXXIV.* ris, teneret. Ordinem quoque Roma-  
*S. 28.* num, seu Ceremonialem Librum, com-  
*Chro. foss.* posuit, typis vulgatum, cujus meminimus.  
*no.* Concio Honorius III. dici voluit,  
& die vigesima quarta Julii consecratus,  
Sacram Sedem annos octo & menses de-  
cem obtinuit.

Altera post Ordinationem die Ho-  
noriis, data ad Regem Hierosolymae E-  
pistola, eum de morte Papae, Antecesso-  
ris sui & sua electione certiore fecit,  
tumque adjecit: *Sed noli animum*  
*lib. I. ep. I.* *despondere; nam etsi Magno Innocentio*  
*ap. Rain.* *minor sim, nullatenus tamen concedam,*  
1216. n. 18. *ut in cura Terram sanctam liberandi*  
*ego quocunque Antecessorum meorum*  
*segor*

*segnior fuisse dicar. Nullis parcam* Sæcul XIII.  
*viribus, & auxilia non modica mit-* A.C. 1216.  
*tam, ut primum occasio faverit. Ad*  
 Episcopos Franciæ quoque Honorius E-  
 pistolis datis hortatus est; animos Cru-  
 ce signatorum, Innocentii Papæ obitu  
 consternatos, erigerent, & addit, Eccle-  
 siam Gallicanam usque in illa tempora  
 præ ceteris omnibus in Ecclesia Roma-  
 na colenda eminuisse. Eadem ferme 5. ep. 21. ap.  
 summa fuit Epistolæ, quam ad alios An- Rain. n. 39.  
 tistites misit. Speciatim vero scripsit  
 Henrico Imperatori Constantinopolita- ep. 5.  
 no, significans, quanto desiderio tenere-  
 tur, factum Schismaticorum domandi,  
 & contra Græcorum arma muniendi O-  
 rientis Imperium, tanquam Arcem, Sa-  
 racenis propinquam, unde commode  
 oppugnarentur. Data etiam ad Gerva-  
 sium, Patriarcham Latinum Constanti-  
 nopolitanum, Epistola, hortatus est;  
 concordiam cum Imperatore foveret,  
 illæsa tamen immunitate Ecclesiastica.  
 Tum in alia Epistola declarat, quod Re-  
 gem Thessalonicæ parvulum sub Sacræ  
 Romanæ Ecclesiæ præsidium recipiat.  
 Quippe Bonifacius Montisferratensis  
 Marchio anno millesimo ducentesimo se-  
 ptimo ex vita excedens filiolum suum  
 Demetrium successorem, in cunis va-  
 gientem, reliquerat. Similia Pontifex ep. 10, 15.  
 Friderico Regi Siciliæ, electo Impera-  
 tori,

Sæcul. XIII. tori, aliisque Regibus & Principibus su-  
 A. C. 1216. premis scripsit. Omnes vero istæ Epi-  
 stolæ Perusiæ datæ sunt, unde reveren-  
 tem Pontificem Romani, die ultima Au-  
 gusti, maximam lætitiã profitentes,  
 exceperunt.

*Chron.  
Fossæ n.*

§. II.

*Engelbertus Archiepiscopus Colo-  
niensis.*

*Chr. Godef.* Innocentius Papa Legatum miserat in  
 1216. Germaniam Petrum Cardinalem, Ti-  
 tulo sanctæ Potentianæ, qui Comitibus,  
 a Friderico Rege Norimbergæ in Festo  
 SS. Jacobi & Philippi die prima Maji hoc  
 anno millesimo ducentesimo decimo  
*v. ap. Sur.* sexto celebratis, interfuit. Advenerat  
 7. Nov. c. 2. quoque Engelbertus, electus Archiepi-  
 scopus Coloniensis, ex domo *Altena*,  
 Engelberti Comitibus *de Berg* seu de Mon-  
 te filius, duorum Archiepiscoporum Co-  
 loniensium Friderici & Brunonis ab *Al-  
tena* nepos. Adolphus vero, Brunonis  
 Successor, Engelberti patruelis erat,  
 Engelberto necdum pueritiã egresso  
 & literis vacanti complura Beneficia,  
 tum Præbendæ tum Præposituræ, colla-  
 ta fuerant. Relictis scholis, summus  
 Præpositus Coloniensis ac deinde Episco-  
 pus Monasteriensis electus est, quam Ec-  
 clesiam Cathedralem recipere noluit. At  
 Theo-

Theodorico Archiepiscopo Colonienſi Sæcul. XIII.  
A. C. 1216.  
depoſito, ut ſuperius memoravimus,

quod Ottonis Imperatoris partibus ſe ſe  
addixiſſet, Innocentius Papa Canonico-  
rum illius Eccleſiæ præcipuis, qui ad Con-  
cilium Lateranenſe venerant, præcepit,  
ut alium Archiepiscopum eligerent. Illi Godof. 1215.  
Coloniam reverſi, & in Eccleſia S. Petri  
Metropolitica, prima die Lunæ in Qua-  
drageſima, octava Martii, anno milleſi-  
mo ducentefimo decimo ſexto, collecti  
magnum Præpoſitum Engelbertum Ar-  
chiepiscopum ſibi cooptarunt. Ipſe er-  
go, cum die prima Maji ad Comitia ve-  
niſſet, Sacræ Sedis Legato electionem  
confirmante, a Rege Friderico Investi-  
turam accepit.

§. III.

*Petrus de Curtenaco Imperator Con-  
ſtantinopolitanus.*

Henricus Imperator Conſtantinopoli-  
tanus ante Innocentium Papam fa- Chro. Antiſſ.  
1216. Chr.  
G. de Nang.  
ctus erat, videlicet die undecima  
Junii, Theſſaloniciæ, anno milleſimo du-  
centefimo decimo ſexto, annos natus  
quadraginta duos, poſtquam ut Impe-  
rator annos decem & totidem ferme  
menſes regnaſſet. Quia obierat impro-  
lis, Barones, qui Conſtantinopoli dege-  
bant, Vicarium Imperii conſtituerunt,  
Ff 3 dum

Sæcul. XIII.  
A.C. 1216.

Hon. I. ep.  
545. ap.  
Rain. 1217.  
n. 17.

dum alius eligeretur Imperator. Henrico autem defuncto erat soror Jolanda, uxor Petri Curtenacensis, Comitis Antifiodorensis, qui ex ea filiam susceperat, Jolandam de nomine Matris dictam, & Regi Hungariæ Andreae in matrimonium datam. Quare Optimatibus Latinis in Græcia existentibus consilium erat, ut vel generum vel socerum ad Imperium eveherent, generum nempe Principem vicinum & potentiorum, socerum vero tanquam propiorum Regni hæredem. Ergo coronam primo offerunt Regi Hungariæ, qui ea rejecta, professionem suam in Ferram sanctam, ad quam suscipiendam voto obligabatur, accelerare statuit, petita a Summo Pontifice licentia. Inde Legati Constantinopolitani usque in Franciam pervenerunt, & Comes Antifiodorensis, electione suo consensu firmata, omnia itineri necessaria paravit, cum Comitissa conjuge sua Romam aditurus, & coronam Imperii accepturus. Erat Petrus Philippi Augusti Regis patrueles, genitus ex quinto Ludovici crassii Regis filio, qui uxorem Dynastiæ Curtenacensis hæredem duxerat.

§. IV.

*Joannis obitus. Henricus III. Rex Angliæ.*

I. ep. ap.  
Rain. c. 30.  
ep. 24.

Honorius Papa in Pontificatus sui exordio

ordio ad res Angliæ quoque animum ad-  
 vertit, & priusquam Perusia discederet,  
 datis literis Galonum Legatum suum  
 iussit, ut cœperat, Joannem Regem tue-  
 ri, & promittere, ipsi S. Sedis tutelam  
 nunquam defuturam. Scripsit etiam  
 Archiepiscopo Cantuariensi, ejus Suf-  
 fraganeis Episcopis & Baronibus Angliæ,  
 ad pacem exhortans. Sed en, paucis  
 post diebus, cum Rex Joannes, amnem  
 trajiciens, impedimenta & ærarium mi-  
 litare amisisset, cladem impatientissime  
 tulit, atque nocte sequente mala Persi-  
 ca & siceram recentem stomacho im-  
 modice ingerens febre ardente correptus  
 est. Ubi supremum vitæ tempus sibi  
 imminere sensit, Henricum filium suum  
 natu majorem in Regno sibi Successorem  
 designavit, tumque, datis ad Honorium  
 Papam literis, filium suum Regnumque,  
 tanquam S. Petri Patrimonium, ejus com-  
 misit præsidio. Hæc Epistola die deci-  
 ma quarta Octobris data est; Joannes  
 vero Rex, diebus exinde quatuordecim  
 elapsis, excessit e vita, postquam annos  
 octodecim & menses quinque regnasset.  
 Vigesima septima ejusdem mensis, in  
 Vigilia Sanctorum Simonis & Judæ Glo-  
 cestriam, præsentem Legato Galono, con-  
 venerunt Petrus Episcopus Wintonien-  
 sis, Jocelinus Bathoniensis, & Silvester  
 Wigorniensis, Comites tres, quibuscum  
 F f 4 erat

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1216.

Math. Par.  
 1216.



Sæcul. XIII. erat Guilielmus Mareſchallus Comes  
A. C. 1216. Pembroc, complures Abbates & Prio-  
 res, ac frequentiffimus populus, Hen-  
 ricum III. Joannis Regis filium primo-  
 genitum, puerum novennem, Regem  
 Angliæ proclamaturi. Altera die ſole-  
 mni pompa ad Eccleſiam Conventualem  
 deductus, Legato, iisdemque Episcopis  
 & Optimatibus præſentibus, Henricus  
 ad ea, quæ Reges conſecrandi promit-  
 tere ſolent, jurejurando ſe obſtrinxit, ac  
 præterea homagium Regni Angliæ & Hi-  
 berniæ Summo Pontifici præſtitit, adje-  
 cto promiſſo, ſe argenti marcas mille,  
 de quibus convenerat, perſoluturum eſ-  
 ſe. Tum Rex ungitur & coronatur vi-  
 geſima octava Octobris anno milleſimo  
 ducentefimo decimo ſexto. Ceterum  
 educationi Regis pueri præfectus eſt  
 Guilielmus Comes Pembrocenſis Regni  
 Mareſchallus, qui, abjecta omni mora,  
 ad omnes Proceres dedit Epiftolas, qui-  
 bus offenſos ad obſequium Regi ſuo ex-  
 hibendum reduceret. Qui vero hucus-  
 que Regi Joanni fidem ſervaverant, mul-  
 to ardentius Henrico favebant, cui pa-  
 rentis ſui crimina nocere non debebant.  
 Præterea in ea fidelitate confirmaban-  
 tur, quod omnibus diebus Dominicis  
 Ludovicum Franciæ Principem ejuſque  
 Fautores ex Cathedra Eccleſiaſtica ex-  
 communicari audirent. Exinde res hu-  
 jus

ius Principis in Anglia labefactari cœperunt. Sæcul. XIII.  
A.C. 1216.

Honorius Papa, accepto de morte Regis Joannis nuncio, solerter conjecit, facile fore, ut inde fors beatior filiis ejus obtingeret, & illi, qui Patri adversabantur, sublata odii materia ad officium redirent. Ita enim de hac re mentem suam explicat in Epistola ad Galonum Legatum, die quinta Decembris data, in qua hortatur, ut strenue mandatum sibi injunctum prosequatur, & promittit, se Censuras, quas in hac causa adhibiturus esset, sua auctoritate confirmaturum. Jubet etiam denunciare, juramentum, quo se Barones Angliæ Ludovico Principi devinxissent, nullius esse roboris. In eundem sensum Papa Episcopis Wintoniensi, Wigorniensi & Oxoniensi, Archiepiscopo Dubliniensi, & Optimatibus Regi Henrico faventibus, imprimis Mareschallo scripsit. Epistolam etiam dedit ad Archiepiscopum Burdegalensem & Proceres Principi subiectos, ultra mare positos. Contra ad obsequium Henrici illos revocare conabatur, qui adhuc repugnabant, his potissimum usus argumentis; illæsa conscientia Regem adolescentem rejici non posse, Regis enim Joannis morte omnem seditionis causam fuisse remotam, Legge divina cautum esse, ne filius iniquitatem patris

*I. epist. 32.  
ap. Rain.  
n. 34.*

*I. ep. 44.*

*ep. 32.*

*Ezech. 18. 20*

F f 5                  patris

VIII.  
omes  
Prio-  
Hen-  
rimo-  
egem  
sole-  
ralem  
copis  
ricus  
omit-  
cit, ac  
& Hi-  
adje-  
mille,  
n es-  
ur vi-  
esimo  
erum  
s est  
Regni  
ora,  
qui-  
o ex-  
acus-  
mul-  
pa-  
bant.  
ban-  
nicis  
sque  
ex-  
hu-  
jus

Sæcul. XIII.  
A.C. 1216.

patris portare cogatur, ac profecto etiam propriae famæ consulturos esse, si reconciliarentur Regi, quem ætas innocentem satis probaret, nec aliam viam superesse, qua proditoris infamem notam a se amolirentur. Hæ literæ effectu non cauerunt. Quin etiam non nulli ex Francorum Optimatibus a Ludovici Principis obsequio recesserunt, & Comes Riciacensis petitam a Summo Pontifice absolutionem a Censura excommunicationis obtinuit.

Inter hæc Honorius Papa sollicitus, ne Regem Franciæ acriter offensum haberet, ob præsidium juveni Regi Angliæ præstitum, Abbatibus Cisterciensi & Claravallensi, quorum apud Regem Philippum & Ludovicum filium magnam esse auctoritatem noverat, scripsit in hunc modum: *Regem adite nostro nomine, & humi prostrati inter viriles gemitus & lacrymas per Jesu Christi sanguinem, propriam etiam suam gloriam, ac Sacræ Sedis reverentiam, orate Principibus juvenibus offensam, si quam in eum pater commisit, dimittat, filium suum ad propria redire, ac occupata de regno Angliæ pupillis restituere jubent, sicque & seipsum & nos expediat a necessitate, in quam nos filius ejus conjecit. Ad Ludovicum quoque Principem accedite, ipsum modo simili obsecra-*

Honorii Papæ Epistola.

te, in nomine illius, qui dominatur ex-  
 celsus in Regno hominum, & cui volue-  
 rit dat illud, a persecutione pupillorum  
 desistat, se ipsum vincat, & si quam ti-  
 met inde ignominiam, dolorem suum Deo  
 & Sacrae Sedi condonet. Sed & ei-  
 dem nibilominus significate; quod nisi  
 se precibus & monitis vestris flecti pa-  
 tiatur, cum bis pupillis deesse nulla ra-  
 tione possimus, contra eum caelum &  
 terram invocaturi simus, & in ipsum  
 manus nostras aggravaturi, quantum po-  
 tuerimus, & quantum Deus nobis ad-  
 spiraverit. Hæc Epistola die sexta De-  
 cembri anno millesimo ducentesimo  
 decimo sexto data est.

Præterea Papa datis literis hortatus  
 est Regem adolescentem Henricum, ut  
 tueretur Berengariam Navarræ, Richar-  
 di Regis Avunculi sui viduam, quæ in  
 Territorium Cenomanense, ut verisimi-  
 le est, in ditiones, ibi pro dote sibi assi-  
 gnatas, se receperat. Illa, datis ad Ho-  
 norium Papam literis, conquesta fuerat,  
 quod quidam in ditionibus suis Clerici,  
 vestitu & tonsura Clericali dimissis, ma-  
 trimonium publice inirent, tumque  
 commerciis & negotiis sæcularibus toti  
 immergi tonsura se iterum insignirent,  
 ut, objecta Ordinis Clericalis specie, Re-  
 ginam juribus & vectigalibus suis defrau-  
 darent. Alii, tonsura non deleta, acce-  
 pta

Sæcul. XIII.

A.C. 1216.

Dan. 4. 29.

Rain. 1218.

n. 60.

c. ex parte 9.  
 de Cler.  
 conjug.

Hon. lib. 2.

ep. 1012. ap.

Rain. ibid.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1216.

pta tamen uxore, sæcularium more vivebant. Ipse Episcopus, Decanus, Archidiaconus, & Capitulum Cenomane hujusmodi Clericis, læsa Regine jurisdictione, favebant. Ergo Papa Regine licentiam dedit, qua suo in eos jure uteretur, atque eadem ab iis obsequia ac a ceteris civibus uxores habentibus exigeret. Illud quoque concessit, ut eodem modo & rigore omnes plecterent, qui se Clericos dicerent, si sine habitu & tonsura in recenti delicto caperentur.

c. 27.  
de privil.

§. V.

*Ordo Fratrum Prædicatorum approbatur.*

*Ford. M.S. vit. per Theod. lib. 1. c. ult. ap. Sur. 4. Aug.* Honorius Papa, Pontificatum auspiciatus, solemniter rito Ordinem Fratrum Prædicatorum approbavit. Concilio Lateranensi soluto, S. Dominicus, ad Socios suos reversus, retulit, sibi a Summo Pontifice Innocentio fuisse imperatum, ut cum ipsis Regulam antea approbatam, quam sequerentur, sibi deligeret. Ergo unanimi consensu Regulam S. Augustini recipiunt, quibusdam Constitutionibus arctioris Disciplinæ adjunctis. Ut vero in officio Prædicationis, quod præcipue implendum sibi proponebant, nullum superesset impedimentum, edicere statuerunt.

*Sup. Lib. LXXVII. §. 52.*

statuto, vetuerunt, ne Ordo agros bo-  
 nave alia immobilia possideret, sed so-  
 lummodo census acciperet. Anno mil-  
 lesimo ducentesimo decimo sexto, cum  
 Fulco Episcopus primam eis Ecclesiam,  
 S. Romani honori Sacram, in urbe To-  
 losana donasset, prope eandem Eccle-  
 siam illico claustrum cum Cellulis, in  
 quibus literarum studiis vacarent & no-  
 cturno tempore acquiescerent, ædifica-  
 tum est. In illis initiis sexdecim haud  
 plures Fratres numerabantur. Exinde  
 S. Dominico Romam reverso, & quadam  
 nocte, ut solebat, in Ecclesia oranti,  
 conspicuus factus est Dei Filius, qui, cum  
 ad dexteram Patris sui sederet, iracun-  
 dia contra peccatores excitatus surrexit,  
 tria jacula manu tenens, quibus eos ex-  
 terminaret. Telum primum contra su-  
 perbos, alterum contra avaros, tertium  
 contra libidinosos vibrabat. Sancta  
 Christi Mater amplectebatur filii sui pe-  
 des, ac pro peccatoribus deprecans, *est*  
*mibi servus fidelis, inquiebat, quem in*  
*orbem terrarum mittes predicaturum,*  
*& convertentur peccatores. Est mibi*  
*& alius piissimus servus, quem ei ad-*  
*jutorem jungam.* Salvator mitigatus  
 esse videbatur, petiitque a Matre hos  
 duos servos sibi ostendi. Ipsa S. Domi-  
 nicum, & quemdam alium, S. Dominico  
 ignotum, monstravit. Cum vero Do-  
 minicus

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1216.

Vincent.  
 spec. hist. lib.  
 XXX. c. 66.

vit. lib. II.  
 c. I.

Sæcul. XIII. minicus eundem altera die in Ecclesia  
 A.C. 1216. obvium habens agnovisset, in ample-  
 xum ruens, *tu meus socius eris*, ait, *tu*  
*mecum in vinea Domini laborabis*, nec  
*nos unitos quisquam valebit vincere*. Er-  
 rat vero is socius S. Franciscus, a quo  
 S. Dominici Discipuli hanc visionem ac-  
 ceperunt.

Ea igitur excitatus Dominicus Pa-  
 pam & Cardinales adire non dubitavit,  
 & quamvis esset solus, pauper, ac omni  
 humana ope destitutus, nihilominus  
 quæcunque petebat, atque Ordinis sui  
 confirmationem impetravit. Hujus  
 confirmationis duæ Bullæ exhibentur,  
 eadem die, vigesima secunda Decembris  
 anno millesimo ducentesimo decimo ser-  
 to, datæ, atque ad Fratrem Dominicum  
 Priorem S. Romani Tolosæ, & ad eius  
 socios fratresque, qui vitam Regularem  
 professi, vel professuri sunt, directæ.

ap. Rainald. Prioris Bullæ, quæ publice edita fuisse  
 n. 49. videtur, hæc est summa: *Nos attenden-*

Bzov. n. 9. *Fidei, & vera Mundi lumina, hunc Or-*  
*dinem tuum cum omnibus bonis suis &*  
*juribus confirmamus.* In altera Bulla

Bull. Ho- duodecim Capita complectente, dicit  
 nor. III. n. 2. Papa, quod Ecclesiam S. Romani sub præ-  
 sidium suum suscipiat, & velit, ut Ordo  
 Canonicus, nempe Canonicorum, qui  
 illuc secundum Regulam S. Augustini  
 intro-

introduciti erant, in perpetuum confer- Sæcul. XIII.  
 vetur. Eisdem possessionem omnium A. C. 1216.  
 bonorum, quæ illa Ecclesia tenebat, vel  
 acquisitura erat, in posterum asserit.  
 Eximit ab obligatione dandi decimas, si  
 novalia suis manibus vel suis sumtibus  
 excolant, & si pecora alant. Ab Epi- art. 9.  
 scopo Diocesano petant sacra Olea, con-  
 secrationem Altarium & Ecclesiarum,  
 ac Ordinationem Clericorum. Prior  
 liberis Fratrum Suffragiis, nulla vi, nul-  
 la fraude interveniente, eligatur. Ex  
 hac Bulla dispicimus, Fratres Prædica-  
 tores a primo suo Instituto nec Mendi-  
 cantes, nec a Jurisdictione Episcopi Dicc-  
 cesani exemptos, sed Canonicos Regula-  
 res fuisse; Unde Honorius Papa, Ordinem  
 eorum ratum habens, contra De-  
 cretum Concilii Lateranensis, novæ Re-  
 ligiosæ Familiæ institutionem prohiben-  
 tis, nihil egit (\*).

S. Domi-

(\*) De rebus & possessionibus Ordinis  
 PP. Prædicatorum in Natali Alexandro pag. 462.  
 Sec. XIII. & XIV. legere est: *Unde refellitur  
 Flaminus, qui S. Dominicum ante confirmatum  
 Ordinem possessiones abdicasse scripsit. Id e-  
 nim duntaxat factum est post quadriennium ab  
 Ordinis Confirmatione in primis Comitibus Ge-  
 neralibus Bononiæ celebratis anno millesimo du-  
 centesimo vigesimo.*

Ab



Sæcul. XIII. S. Dominicus, Ordine suo a Sede  
 A.C. 1216. Apostolica ita confirmato, cum quadam  
 die in Ecclesia S. Petri orans a Deo pe-  
 teret, ut eundem Ordinem suum con-  
 servaret & propagaret, visus est sibi S. Pe-  
 trum & S. Paulum ad se venientes con-  
 spicere. S. Petrus baculum & S. Pau-  
 lus librum ei tradebat, additis verbis:  
*Vade, ad hoc Ministerium te Deus elegit.*  
 Et ipse illico filios suos, per totum Mun-  
 dum divisos, binos, verbum Dei prædi-  
 cantes, vidit. Ergo Tolosam reverlas

vit. 11. c. 1.

Vincent.  
 XXX. c. 66.

vit. c. 2.

Ab eodem S. Patriarcha ROSARII Be-  
 ta Virginis Deiparæ, afflante Spiritu Sancto  
 ipsa Cælorum Regina revelante, inventa devo-  
 tio est, quam Albigensum impietati opposi-  
 tisque Alumnis prædicandam tradidit: quod  
 non solum Ordinis Scriptores referunt, sed Sa-  
 cri Pontifices Leo X. Pius V. & Sixtus V. Ap-  
 postolicis Diplomatum profitentur, quorum  
 verba legere est apud Malvendam in Annalibus  
 ad annum 1215. p. 132. Nec persuadet contra-  
 rium Theodorici de Appoldia ea de re silentium  
 in vita S. Dominici, & Thomæ Cantipratensis  
 lib. II. c. 29. Articulis 6to, & octavo tres In-  
 timationum Angelicarum quinquagenas a quibus-  
 dam Beatae Mariae Virgini devotis recitari  
 solitas memorantis, de Auctore autem devo-  
 tionis hujus nihil dicentis. Satis enim notum  
 est quam leve sit negantis argumenti pondus  
 contra positiva disertaque testimonia. &c. Hoc  
 usque Natalis.

Sæcul XIII.  
A. C. 1216.

Fratribus suis dixit, quod animo constituisset, hæc accepta a Deo mandata exequi, eosque, paucitate ipsorum non obstante, in varias orbis partes spargere, tanquam grana seminis, quod projicitur, ut fructum afferat. Ipsi subiti propositi novitatem mirabantur, nec illud etiam probabatur Simoni, Comiti Montfortio, Archiepiscopo Narbonensi, Episcopo Tolosano, aliisque Præsulibus, qui secundum prudentiæ humanæ regulas virum sanctum a consilio Fratres suos tam cito a latere suo avellendi dimovere conabantur.

Anno sequente millesimo ducentesimo decimo septimo, novo Ordini Præpositum, cum Abbatis titulo, eligi curavit. Erat is Frater Mathæus, qui solus Abbatis nomen gessit, nam postea Præpositus Generalis Fratrum Prædicatorum Magister, Familiarum autem privatarum præfecti, Priores dicti sunt. Eo autem consilio S. Dominicus Abbatem eligi voluerat, quod ipse, motus spe Martyrium consequendi, animo constituisset, ad Saracenos proficisci, & Evangelium prædicare. Hinc etiam aliquamdiu barbam aluit. Ac sub illud tempus Fratres quatuor Gomezium, Petrum, Michaelem, & quartum, sibi cognominem Dominicum, in Hispaniam misit. Alios quatuor Parisios misit, videlicet Ma-

*Hist. Eccles. Tom. XIX.*

G g thæum

Sæcul. XIII.  
A.C. 1216.

Jord. M.S.  
M. S. Viñ.  
ap. Duboulay  
p. 90.

thæum Abbatem, & Bertrandum, virum  
sponte sua rigoris amantem, olim S. Do-  
minici in suis itineribus socium. Lite-  
ras Papæ habebant, ex quibus Instituti  
sui Confirmationem ostenderent. His  
junxerat duos alios Joannem ex Navar-  
ra & Laurentium natione Anglum, ut  
Lutetiæ literarum studiis vacarent. Tres  
iterum alii paulo post missi, Manes,  
S. Dominici Frater, Vir sanctus & con-  
templationi deditus, Michael Hispanus,  
& Otherius Normannus, frater Con-  
versus. Septem itaque fratres, ubi die  
duodecima Septembris anno millesimo  
ducentesimo decimo septimo Parisios  
pervenissent, in quadam domo conda-  
cta, inter ædes Episcopales & Hospitium  
posita, aliquamdiu diversati sunt.  
Anno sequente millesimo ducentesimo  
decimo octavo Magister Joannes Deca-  
nus S. Quintini & Universitas Parisien-  
sis, rogante Papa, domum S. Jacobi Do-  
minicanis donarunt, in quam die deci-  
ma Augusti introducti sunt. Ab hac do-  
mo Fratres Ordinis Prædicatorum in to-  
ta Francia Jacobini vocantur.

§. VI.

*Res Albigenſium.*

ap. Rainald.  
n. 50. I ep.  
190. *ibid.*

Inter hæc Honorius Papa S. Dominico  
& ejus Fratribus scripsit, hortatusque  
est, ut ad labores Apostolicos in Occitan-  
nia

virum  
 S. Do.  
 Lite-  
 nsticui  
 His  
 Navar-  
 um, ut  
 t. Tre  
 Manes,  
 & con-  
 panus,  
 Com-  
 abi die  
 Hlesimo  
 Parisios  
 conda-  
 pitiam  
 el sunt  
 tesimo  
 Deca-  
 arisien-  
 obi De-  
 e deci-  
 hac do-  
 a in co-  
 minico  
 tusque  
 Occita-  
 nia

na perferendos animos pararent. Hæc **Sæcul. XIII.**  
 Epistola die vigesima sexta Januarii an- **A.C. 1216.**  
 no millesimo ducentesimo decimo se-  
 ptimo data est. Dies vero abhinc ali-  
 quot, datis ad Doctores Parisienses lite-  
 ris, hortatus fuerat, ut in eandem pro-  
 vinciam non nullos de universitate vi-  
 ros mitterent, qui Hæreticos docerent  
 & veritatem prædicarent, illuc profici-  
 scentibus remissionem peccatorum suo-  
 rum promittens. Bertrandum quoque  
 Presbyterum Cardinalem, titulo SS. Joan-  
 nis & Pauli, auctoritate Legati muni-  
 tum, in Provinciam & Occitaniam mi-  
 sit, cum Epistolis, ad Archiepiscopos Em-  
 brodunensem, Aquensem, Viennensem,  
 Narbonensem, Augustanum Aufcionum,  
 ac illarum provinciarum Episcopos da-  
 tis, in quibus imperabat, ut Legato Se-  
 dis Apostolicæ obsequerentur. Legato  
 autem suo Honorius mandata dederat,  
 quibus non solum Hæreticos ad Ecclesiæ  
 finem reducere, sed etiam belli motus  
 & lites inter Catholicos ferventes com-  
 ponere jubebatur. Mandatum præter  
 alia erat, ut ad pœnitentiam adduceret  
 Massilienses, qui viros Ecclesiasticos op-  
 primebant; quippe in supplicatione pu-  
 blica eos invaserant, vestes sacerdotales  
 laceraverant, Cruces confregerant, &  
 projectum in terram Sacramentum cal-  
 caverant, quæ res ipsos Hæresis suspe-  
 ctos

I. ep. 241. 283

ep. 286.

G g 2

Sacul. XIII. A.C. 1216. ctos effecit. Legato igitur præceperat Pontifex; nisi Massilienses insolenter facta pœnitentia emendarent, eos Censuris excommunicationis & Interdicti subjiceret.

*Hist. Albig.*  
c. 84.

*Sup. Lib.*  
*LXXVII.*  
S. 55.

\* *Sergens*

Ubi in Provinciam pervenit Legatus, illam Regionem Comiti Montfortio rebellem vidit. Nam Raimundus junior, Comitis Tolosani filius, ab incolis obtinuerat, ut Dominum se agnoscerent, quod sibi a Concilio Lateranensi pars ditionum, quæ pater suus habuisset, fuisset reservata. Urbes, in Simonem Montfortium & Ecclesiam seditiosæ, erant Avenio, Massilia, oppidum S. Egidii, Belicadrum, & Tarraco; quare Bertrandus Legatus Arausicæ ultra Rhodanum, quasi obsessus, hæere compulsus est. Interim Comes Montfortius in Diœcesi Nemausensi bellum gerebat, ad-jutus copiis Gerardi Archiepiscopi Bituricensis, S. Guillelmi Successoris, & Roberti Episcopi Claromontani, qui, anno superiore edito sacrae militiæ voto, agmina equitum peditumque \* adduxerant. Hi, quadraginta diebus Peregrinationis suæ consumtis ad sua reversi sunt.

Legatus Comitem Montfortium invisurus, & cum eo de Religionis negotio collaturus consilia, in quemdam locum ad Rhodanum prope Vivariam urbem,

bem, qui portus S. Saturnini dicebatur, <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 venit, cumque ibi in ripa fluminis cum <sup>A. C. 1216.</sup>  
 multis Clericis & Laicis sederet, in eum  
 Hæretici missilia septendecim, nempe  
 lapides pro more illius ævi ex balista ex-  
 cussos, intorserunt, quibus aliquis ex  
 Pontificiis apparitoribus vulneratus est.  
 Simon vero Comes, Legati adventu læ-  
 tus, ad eum promptissime delatus, hono-  
 rem, quantum potuit, exhibuit. Suasit  
 Legatus Comiti; trajecto Rhodano Re-  
 bellibus Provinciæ \* arma inferret, & \* <sup>Provence</sup>  
 obediit Comes, quippe in cunctis obse-  
 quebatur mandatis S. Sedis Legati, qui  
 unacum ipso fluvium transmisit.

§. VII.

*Ludovicus Princeps ex Anglia  
 solvit.*

Honorius Papa ad Regem Angliæ lite-  
 ras dedit, quibus solatium post obi-  
 tum patris suggerebat. Gratulabatur,  
 quod Crucem accepisset, defuncti vo-  
 tum impleturus, & Sacræ Sedis præsi-  
 dium promittebat. Nec mora, ejus  
 partes acriter defendendas suscepit; nam  
 datis literis ad Scotiæ Regem, qui, inito  
 cum Ludovico Principe armorum fœ-  
 dere, ei Northumbriam submiserat, ex-  
 probravit Pontifex, quod fidem Regi  
 Angliæ, Domino suo legitimo, & Eccle-  
 siæ

*1. ep. 164.  
 Rain. n. 67.*

*ep. 169.*

G g 3                      siæ

Sæcul. XIII. siæ Romanæ debitam violasset, ac hor-  
 A.C. 1217. tatus est, ut non obstante juramento illi-

ep. 170.

167.

set, ad officium rediret. Epistola die  
 decima septima Januarii anno millesimo  
 ducentesimo decimo septimo data est,  
 pluresque similes ad alios Optimates  
 missæ. Papa iis quoque scripsit, qui ve-  
 ni Regi favebant, ut hanc ipsorum  
 mentem confirmaret, præsertim Comiti  
 Pembrocensi Guilielmo Mareschallo,  
 quem ad constantiam, & cum Legato  
 Galono concordiam, hortatur. Præ-  
 terea Legato suo potestatem fecit, quæ  
 Prælatos, seditiosorum partibus inha-  
 rentes, Dignitatibus suis privaret, alios-  
 que Ecclesiis Angliæ, Scotiæ & Walliæ  
 daret, qui Henrico Regi fidem ad ul-  
 tima servarent. Beneficia Ecclesiastica  
 illis auferret, qui Censuris ligati divina  
 officia celebrare ausi fuissent, nisi a Lu-  
 dovico deficerent. Crucigeris Regi  
 Henrico fidis tempus professionis in Ter-  
 ram sanctam usque ad extinctionem bel-  
 li civilis prorogaret. Tandem quale-  
 cunque jusjurandum Ludovico præsti-  
 tum sua auctoritate nullum efficere  
 obsides ei datos liberaret, & imperato-  
 rem facere detrectantes adhibitis censuris  
 compelleret.

Mandatarii autem, qui, a Ludovico  
 Principe missi, Romæ commorabantur

per literas significarunt, nisi excederet  
 ex Anglia, Summum Pontificem excom-  
 municationis sententiam, a Galono Le-  
 gato contra eum latam, in Coena Do-  
 mini, quæ hoc anno millesimo ducente-  
 simo decimo septimo in diem vigesimam  
 tertiam Martii incidebat, esse confirma-  
 turum. Acceptis his literis Ludovicus  
 ad inducias mensis unius Regi Henrico  
 concedendas compulsus est, cum etiam  
 nihil auxilii speraret a Rege Philippo  
 parente suo, ne eadem excommunicatio-  
 ne involveretur, timente. Ergo Ludo-  
 vicus, ficta itineris causa de industria in  
 vulgus sparsa, quasi plures copias con-  
 tracturus, tempore Quadragesimæ ex  
 Anglia solvit. At cum vix tergum ver-  
 tisset, multi Optimatum in Anglia Hen-  
 rico Regi se subjecerunt, & ubi ipse in  
 Franciam pervenit, Rex parens cum eo  
 ne quidem ullo colloquio communica-  
 re voluit; tanta erat Censurarum Ec-  
 clesiasticarum reverentia. Tunc vero  
 Papa datis ad Regem Philippum literis  
 hortatus est; officium boni patris im-  
 pleret, filium ad saniora reducere sive ar-  
 gumentis leniter suggestis, sive metu in-  
 cussio, conaretur, futuro Dei iudicio ter-  
 reret, & imprecationibus Fidelium, quos  
 ab implendo voto Terram sanctam libe-  
 randi abstraheret. Hæc Epistola vige-  
 sima prima Aprilis data.

Gg 4

Nihil-

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1217.

Math. Par.  
 an. 1217.

Guil. Arm.  
 p. 90.  
 Nang. p.  
 503.

i. ep. 404. ap.  
 Rain. n. 70.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1217.

Nihilominus Princeps Ludovicus post Festa Paschalia in Angliam revedtus, Anglos Lincolniam obsidentes depellere molitus est. Cum illis Legatus Sacra Sedis erat, accendebatque ad pugnam contra Francos excommunicatos, quidollescentulum innocentem regno patrio exuere non erubescerent. Pridie quam proelium committeretur, ante primos ordines stans Legatus cum suis Clericis linea veste indutis, Ludovico nominatim & omnibus ejus Fautoribus conscientique excommunicatis, plenariam Indulgentiam promisit omnibus, qui pro causa Henrici Regis militabant, & Apostolicam Benedictionem impertitus est. Illi mox arma capere jussi, in Francos irruunt, victosque in fugam agunt, Sabato post Pentecosten, vigesima prima die Maji, anno millesimo ducentesimo decimo septimo.

Ludovicus, Londini agens, & a plerisque Anglorum se desertum intelligens, pacem cum Rege Henrico iniit, statutis sequentibus conditionibus. Ludovicus & cuncti ejus milites super sancta Evangelia jurarent, quod se Ecclesie judicio subjecturi essent, in posterum Papæ & Ecclesie Romanæ fideles. Princeps ex Anglia sine mora solveret, & quoad viveret, nunquam hostili animo rediret. Omnia in Anglia occupata restitueret. Omni-

Omnibus viribus eo adducere Regem pa-  
 trem conaretur, ut Regi Henrico omnia  
 sua jura in ditiones ultra mare positas  
 redderet. De hac pace servanda die  
 undecima Septembris utrinque juratum.  
 Tumque Ludovicus, cum suis ritu Ec-  
 clesie ab excommunicationis vinculo ab-  
 solutus, literas a Legato S. Sedis accepit,  
 in quibus ei poenitentia injungebatur;  
 censuum suorum decimam partem bien-  
 nio penderet, milites vero Laici partem  
 bonorum suorum vigesimam darent, quæ  
 in auxilium Terræ sanctæ transmitteren-  
 tur. Ludovicus in Franciam his actis  
 celeriter navigavit, a quo deinde roga-  
 tus Papa pacem cum Rege Angliæ fan-  
 citam confirmavit, quod ex Pontificis  
 Bulla, die decima tertia Januarii anno mil-  
 lesimo ducentesimo decimo octavo data,  
 cognoscimus.

Multi vero etiam ab hac pace & ab-  
 solutione exclusi sunt, videlicet Episcopi,  
 Abbates, Priores, & Clerici, qui vel ope  
 vel consilio Ludovicum, & Barones se-  
 ditiosos juverant, ac præter alios Magi-  
 stro Simoni Langtonio absolutionis gra-  
 tia denegata est, qui, Principe & Baro-  
 nibus excommunicatis præsentibus, Mis-  
 sam celebrari jusserat. Hos Legatus om-  
 nibus suis beneficiis spoliatos Romam  
 ire compulit; nam ut primum Ludovi-  
 cus Princeps e regno abiit, Legatus in

G g 5. omnes

Sæcul. XIII.

A. C. 1217.

du Tillet.

Angl. p. 164.

168.

31. ep. 890.

R. 1218. n. 59

Sæcul. XIII.  
A. C. 1217.

3. ep. 306. ap.  
Rain. 1219.  
n. 39.

du Tillet.  
Angl. 164.

omnes Angliæ provincias Mandatarios sparsit, qui omnes, utcunque reos, quod seditioni consensum præbuissent, suspensos, & Beneficiis suis exutos, ad se mitterent. Beneficia deinde Galonus Clericis suis liberaliter dividens, cunctos pinguibus præbendis locupletavit. Præterea Hugo Episcopus Lincolnensis, in Angliam redux, ut sibi ad Sedem suam redire liceret, mille marcas argenti Papæ & centum Legato solvit, quod exemplum plures alii Episcopi, & Clerici tam Sæculares quam Regulares secuti, amicitiam & indulgentiam Legati multa pecunia redemerunt. Romam profectus Pœnitentiarius sequentem satisfaciendi modum injunxit; per annum integrum in Festis Nativitatis Domini, Purificationis, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis & Nativitatis Beatæ Virginis, in Ecclesia Cathedrali, quilibet eorum nudis pedibus & interula tectus, peccatum suum publice confiteatur, atque a summo Altari per medium chorum virgas tenens, Cantore eum castigante, procedat. Hæc fuit illorum, qui Romam petierant, pœnitentia. Sed nihilominus Ludovicus Princeps a Papa deinde impetravit, ut non nulli Presbyterorum & Clericorum illorum, qui pœnitentiam hanc publicam subierant, ad Ordines & Dignitates superiores evahi possent.

§. VIII

§. VIII.

Sæcul.XIII.  
A.C.1217.

*Petrus Imperator a Theodoro Comneno captus.*

Petrus de Cortenaco, Comes Antisiodorensis, Imperator Constantinopolitanus electus, mense Aprili, anno millesimo ducentesimo decimo septimo, cum Comitissa Jolanda conjugæ suæ Romam venit, ut a Papa coronaretur. Is maximo quidem honore exceptus est; sed Papa ad coronam ei imponendam ægre adduci potuit, quod timeret, ne Imperatores Constantinopolitani ex hac coronatione aliquam sibi jurisdictionem in Urbem Romam eruere tentarent, & Patriarcha Constantinopolitanus quereretur, jus suum a Romano Pontifice usurpari. Sed id tamen summis precibus Comitissæ dedit, ac multo facilius etiam, postquam monuerunt amici, si hoc beneficium denegaret, non Imperatori modo, sed toti Imperio Constantinopolitano multum Dignitatis detractum iri. Ut vero omnibus constaret, quod Petrum, Imperatorem quidem, at non Romanorum, coronaret, hunc Ritus Imperatorum non in Basilica S. Petri, sed extra urbem in Ecclesia S. Laurentii peregit.

Istud actum Dominica secunda post Pascha, die nona Aprilis, anno millesimo ducent-

*Chron. foss.  
nov. Ric. 5.  
Germ. Chron.  
Antis.*

*1. ep. 525. ap.  
Kainal. n. 6.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

ducentesimo decimo septimo, atque vix elapso exinde triduo, datis ad Gervasium Patriarcham Constantinopolitanum literis, Papa facti sui rationem exposuit, professus, se illius Ecclesiæ nullatenus nocere voluisse (\*).

ep. 418. 419.

Petro Imperatori proficiscenti socium cum potestate Legati dedit Papa Joannem Columnium, Presbyterum Cardinalem titulo S. Praxedis, cui amplissima contulit mandata; detrectantes Censuris Ecclesiasticis ad agnoscendum electum Imperatorem, eique obediendum compelleret. Accusationem contra Episcopos allatam admitteret, & contra eos ipsam sententiam depositionis pronunciare posset. Episcopos resignantes reciperet, de postulatione Episcoporum judicaret, ab una Sede ad aliam transferret, excommunicatos absolveret, & Interdicti Censuras tolleret. Præterea

(\*) Ex his confirmatur, Romanis Imperatoribus Occidentis ex coronatione, a Summis Pontificibus peracta, jus aliquod in Urbem Romanam & totum Romanum Imperium fluxisse. Quid enim aliud timebat Honorius Papa, nisi ne Petrus ex coronatione Romana, si aliquando favente fortuna viribus valuisset, in Urbem & forte etiam in ipsum Pontificem, potestatem, quam veterum Imperatorum non nulli usurpabant, sibi vindicare moliretur?

terea Papa datis ad Præsules Latinos, O-Sæcul. XIII.  
 ptimates Imperii Constantinopolitani, A.C. 1217.  
 & Venetos literis, Legatum suum com-  
 mendavit.

Petrus Imperator cum Sacræ Sedis  
 Legato naves Brundusii conscendit, con-  
 ductas a Venetis, quibus promiserat, in  
 Epiro junctis viribus Dyrachium obli-  
 dere, eam urbem enim Theodorus Co-  
 mnenus in suam redegerat potestatem.  
 Theodoro Principe, qui Michaeli fratri  
 suo successerat, hostium Latinis infen-  
 sorum in Romania nullus potentior, nul-  
 lus ferocior fuit. Itaque Petrus Impe-  
 rator spe ductus Dyrachium expugnan-  
 di profectorem exorsus est, Jolanda  
 Imperatrice & quatuor filiabus præmis-  
 sis, recto itinere Constantinopolim pe-  
 tituris. Sed postquam multum tempo-  
 ris ad Dyrachii mœnia frustra consum-  
 sisset, obsidionem solvere coactus est,  
 tumque in illam regionem penetrans,  
 ubi continuis montium jugis & viarum  
 angustiis coercebatur, cum deficiente  
 annona metueret, ne totus periret ex-  
 ercitus, cum Theodoro, se persequente,  
 prælio decernere statuit. Verum ille,  
 Sacræ Sedis Legato Conciliatoris offi-  
 cium in se suscipiente, pacem Impera-  
 tori obtulit, tutum transitum & com-  
 meatus pollicitus, addita conditione, si  
 arma poneret. Mox autem, datam fi-  
 dem

*Chro. Antis.  
 f. 109 Ric. de  
 S. Germ.  
 an. 1217.  
 Georg.  
 Acrop. c. 14.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1217.

Chro. foss.  
nov. eod.

dem fallens, Imperatorem, Legatum, Archiepiscopum Salonensem, Guillelmum Sancerrensem, aliosque Proceres custodiæ tradit, jubetque exercitum in regionem sterilem deduci, ubi inedia misere deletus est. Quin etiam Theodorus Imperatorem & Columnium Legatum necasset, nisi amici, quos ad consilium adhibuit, cogitare eum monuissent, ex immani crudelitate bellum ipsi æternum, a Papa & Imperatoribus Constantinopolitanis de gente Latinorum sustinendum, nasciturum esse. Itaque satis ei fuit captivos in carcere custodire.

Honorius Papa, accepto tristi nuncio, Andream Capellanum suum ad Theodorum Comnenum misit, cum Epistola, in qua minatur, se in eum immisurum esse Cruce signatorum exercitum, qui proditorem terra marique oppugnaret, nisi S. Sedis Legatum libertati restitueret. Andreæ quoque Regi Hungariæ scripsit Papa; quam funesta accideret sacro bello Theodori perfidia, atque Imperatoris & Legati captivitas.

I. ep. 543.  
Rain. n. 13.  
ep. 544.

*Ex hoc enim, ait, Græcorum Scismaticorum insania insolescet, consternantur animi Latinorum in Romanæ existentium, ubi cognoscent, quam grave discrimen sibi immineat. Christiani, in partibus transmarinis positi, qui a Cur-*

a Constantinopolitano Imperio virorum  
 & rerum auxilium expectabant, obstu-  
 pescent, & feritas paganorum crescet.  
 Totum populum Christianum tangit di-  
 sti casus tristitia, quæ cum communis  
 sit aliis, nobis tamen ac tibi magis  
 propria esse dignoscitur, cum nec Apo-  
 stolica Sedis Legatus, nec Imperator,  
 qui tibi vinculo tam propinquo est con-  
 junctus, sine nostra tuaque injuria &  
 opprobrio detineri non valeant. Hor-  
 tamur igitur Serenitatem tuam, roga-  
 mus, & obsecramus in Domino, ut o-  
 mni mora abjecta Legatos magnæ au-  
 thoritatis ad Theodorum transmittas,  
 qui utriusque libertatem postulent, ei-  
 que denuncient, quod, si preces tuas  
 spreverit, te validi & instructissimi  
 exercitus vim contra contumacem ad-  
 bibiturum esse. Hæc Epistola, vigesima  
 octava Julii, Ferentini, quo Papa die de-  
 cima nona advenerat, data est.

## §. IX.

*Rex Hungariæ in Palæstina.*

Rex Hungariæ exercitum eo consilio  
 comparaverat, ut his viribus in bel-  
 lo sacro uteretur, nec præter ipsum illo  
 anno Regum aliquis in Palæstinam iter  
 suscepit. Papa nihil relinquebat inten-  
 tatum, quo cunctos ad exequendum de-  
 creta Concilii Lateranensis permove-  
 ret,



Sæcul XIII.  
A.C. 1217.

I. ep. 17. ap.  
Rain. 1216.  
n. 26.

ep. 18.

I. ep. 93.

ep. 79. 295.

Chro. Godef.

ret, nunc abiturum Crucigerorum urgens, nunc removens obstacula. Anno superiore, pacem in Italia inter Mediolanenses & Placentinos cum Ticinensibus reducere conatus fuerat, in eam rem duobus Cardinalibus cum Legatorum potestate in Longobardiam missis, quorum Censuras confirmavit, latas contra Mediolanenses & Placentinos, quod Legatorum monita & præcepta contempsissent.

Præterea Honorius summo studio ad Beneventanos, Ecclesiæ Romanæ Vassallos, a se ipsis invicem divisos, reconciliandos incubuit, ac in Francia bello exorto inter Theobaldum juniorem & Erhardum Briennium ob Comitatum Campaniæ extinguendo operam impendit, eum in finem, ut auxilia in Terram sanctam promptius expedirentur.

Andreas Rex Hungariæ & Leopoldus Dux Austriæ cum multis Episcopis, Comitibus, ac magna vulgariū militum Crucigerorum multitudine mari se commiserunt, cumque Papa comperisset, quod in Cyprum Insulam circa Festum Nativitatis Domini Nostræ appulsuri essent, atque Patriarcha Hierosolymitanus & Magistri Hospitii ac Templi eandem Insulam petere iussi essent, ad deliberandum, ubi communi consilio in hostem irruendum esset, datis literis Archie-

Archiepiscopo Genuensi præcepit, ut <sup>Sæcul. XIII.</sup> hortaretur <sup>A.C. 1217.</sup> Cruce signatos, qui in ejus urbem pervenerant; in Cyprum tenderent, & quantum mare vel tempestas <sup>2. ep. 536.</sup> sineret, juncti navigarent, quo facilius piratis possent resistere.

His addit Honorius, quod Cardinalem Pelagium, Episcopum Albanensem cum Legati potestate illuc missurus esset. Atque ista Epistola vigesima quarta Julii data. De eadem causa scripsit Archiepiscopo electo Pisano atque Episcopis Massiliensi, Castelli maris, & Gajetano, nec non <sup>ep. 537.</sup> Archiepiscopis Brundusii, & Cosentiæ, in urbibus maritimis Sedem habentibus. Scripsit tandem Regi Hierosolymæ, aliisque, quos in Insulam Cyprum conventuros noverat.

Paucos ante dies Honorius Papa datis literis Archiepiscopo Cosentiensi præceperat; cum potestate Legati Sacræ Sedis Messinam proficisceretur, ubi multi Cruce signati se collegerant, eosque hortaretur; ad Bellum sacrum se se compararent, non ferro tantum sed etiam armis spiritualibus gerendum. Tum subjungit: *Innocentius Papa animo constituerat, ipse oblata ista occasione in Siciliam transmittere, ut suo consilio Fidelium exercitum juvaret, & proficiscentibus Benedictionem Apostolicam impertiretur. Ivissemus vero nos ipsi, si ex-*  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XIX. Hh pedi-*

**Sæcul. XIII.** *pedire credidissimus. Quia autem illa*  
**A.C. 1217.** *copiæ Duce carere dicuntur, nec Fratres*  
*nostri Cardinales, nec alii nobis susse-*  
*runt, hoc tempore in Siciliam trajicere,*  
*ne si eventus Christianorum spei non re-*  
*spondeat, plerique de totius belli successu*  
*desperandum esse putent. Nostram ergo*  
*supplebis absentiam, eo opportunius, quod*  
*ipse edito sacræ militiæ voto teneat.*  
 Tum Papa Legato præcipit, ut adjecta  
 excommunicationis pœna prohibeat, ne  
 quis Christianorum ad invisendum sa-  
 crum Sepulchrum commeat, sicque Fi-  
 delium pie peregrinantium expensis Sa-  
 racenorum opes augeantur.

## §. X.

*Castrum Alcazar in Portugallia*  
*expugnatur.*

**Godef. an.**  
**1217.**

**I**n alia Orbis parte Guilielmus Comes  
 Hollandiæ, Georgius Comes Owitz  
 pluresque alii Cruce signati Germani,  
 conscensis in Mosa amne navigiis, die vi-  
 gesima nona Maji, postquam in Angliam  
 & deinde in Britanniam minorem appu-  
 lissent, tandem in quemdam Hispaniæ  
 & Regni Legionis portum invecti, inde  
 relictis ibi triremibus, ad S. Jacobum  
 peregrinati sunt. Tum rursus itinere  
 maritimo Ulissiponem pervenerunt, ubi  
 aliquamdiu commorantes, naves aliorum  
 socio-

lociorum, ut condixerant, expectarunt. Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.  
 Illo igitur temporis intervallo, Suero Episcopus Ulissiponensis, Episcopus Eboracensis, Martinus Ordinis S. Jacobi de Palmela Eques Beneficiarius, Templarii, Hospitalarii, aliique viri Nobiles Lusitanæ, lamentabili oratione exposuerunt, quanta trepidatione nunquam non bellum a Saracenis vel paterentur vel timerent, maxime ab illis, qui arcem proximam vulgo *Alcazar* postquam inde Equites S. Jacobi seu *de Gladio* dictos expulissent, insiderent, ac singulis annis centum Christiana mancipia, Regi Marochii dono mittenda, extorquerent. Quare Cruce signatos milites vehementissime rogabant, ut se a tam vicini hostis insultibus liberarent. Comites, ad capiendum consilium coeuntes, pensarunt, illa intemperie iter maritimum sibi intercludi, ac etiam suam in Palæstina præsentiam tunc Fidelibus parum profuturam, cum Rex Romanorum, aliique complures Germaniæ Principes, eam protectionem necdum exorsi essent. Ergo potius in Lusitania contra Infideles pugnare, quam omnino cessare, & *Alcazar* arcem obsidere statuunt. Non omnibus tamen istud propositum placuit, ac minime Frisonibus, qui post S. Jacobi Festum cum octoginta fœmine navigiis recesserunt.

Hh 2

Die

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

\* Badajoz.

Crucigeri in  
Lusitania.

Die trigesima Julii ad Arcem *Aleazar* admotus est Christianorum exercitus, ac elapso quadriduo Episcopi Ulissiponensis, & Eboranus, Equites S. Jacobi, aliique Lusitaniæ proceres cum selectis copiis advenerunt. At altera post Festum Nativitatis Beatæ Virginis die, nempe nona Septembris adsunt Reges Saracenorum quatuor, videlicet Rex Hispanensis, Rex Cordubæ, Rex Gienni, & Rex Pacis \* Augustæ, arcem liberaturi, quos biduo vix expleto Christiani, etsi numero impares, prælio vicerunt. Reges duo, Cordubensis & Giennensis cum quatuordecim millibus Saracenorum caesi, captorum multitudo innumerabilis fuit. Tandem circa Festum S. Ursulæ, quod in diem vigesimam primam Octobris incidit, præsidarii arcem dederunt, nulla addita conditione Victoris arbitrio se permittentes. Cives omnes venundati sunt. Tum munimentis Equitibus de *Gladio* traditis, sacri milites ad Festum Omnium Sanctorum Ulissiponem, hyemem transacturi, redierunt.

*Reg. Hon. II*  
*ep. 817.*  
*Rain. n. 32.*

Hujus victoriæ nuncium Summo Pontifici allatum est per Epistolam, nomine duorum Episcoporum Ulissiponensis & Eborani, Magistri Templariorum in Hispania, Magistri Hospitalariorum in Portugallia, & Beneficarii S. Jacobi de Palmela, scriptam. In ea postquam

Sæcul. XIII.  
A.C 1217.

inexpectatum Cruce signatorum Germa-  
 norum Ulissiponem adventum, & obli-  
 tionem Arcis retulerunt, dicunt, non  
 nulla prodigia pugnam celebrasse, jam-  
 que Saracenos captos quarere, in qua  
 exercitus parte steterunt illi equites, al-  
 bis vestibus splendidi, qui ipsos telorum  
 grandine excœcatos in fugam vertissent.  
 Tum subjungunt Præsules: *Ad pedes San-  
 ctitatis tuæ provoluti petimus, ut juben-  
 te tua Clementia exercitus Christiano-  
 rum peregrinantium ad cultum perfidiæ  
 Paganorum ex tota Hispania penitus ex-  
 tirpandum nobiscum per annum rema-  
 neat, & tam ipsi quam nostrates Cruce  
 signati illa gaudeant Indulgentia, quam  
 acquirerent, si in Terram sanctam perve-  
 nirent. Petimus etiam, ut Peregrinis,  
 quos vel infirmitas vel paupertas in Ter-  
 ram sanctam transmittere vetat, ex no-  
 stra regione ad sua redire per te liceat,  
 salvo Indulgentiæ lucro. Simul Guiliel-  
 mus Comes Hollandiæ utpote totius  
 exercitus Cruce signatorum Dux ad Pa-  
 pam dedit Epistolam, in qua dicit, quod,  
 Castro Alcazar capto, Dominus loci  
 cum centum aliis Baptismo ablatus fue-  
 rit, & addit: *Spero hunc virum magnam  
 Hispaniæ partem, Saracenis subjectam,  
 ad Fidem Christi conversurum esse. Il-  
 lud quoque ad Sanctitatis tuæ aures de-  
 latum fuisse non dubito, quod Rex Legio-  
 nis**

ep. 818.

H h 3

nis

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

*nis & Galaciæ, Rex Navarra, multi Episcopi & multi ex tota Hispania Optimates, nostro adventu excitati, Cruces ad militandum contra hujus Regionis Saracenos acceperint, & inducias diu ante cum eis initas fregerint. Hi preces suas ceterorum votis junxerunt, ut proxima æstate in Hispania commorantes, in eorum societate Deo contra Infideles serviremus. In his autem omnibus, sanctissime Pater, mandatis tuis, tanquam filius obedientiæ, promptissime obsequar.*

ep. 820.

Honorius Papa, dato responso, immensas Deo gratias & laudes pro reportata victoria agebat, adjiciens: Porro cum Terræ sanctæ auxilia quacunquedum ex causa impediri non velimus, petitionem vestram, qua rogastis, ut Cruce signatos, qui ob corporum infirmitatem aut rerum inopiam ad Terram sanctam tendere non valerent, ad sua remeare juberemus, concessa eis plenaria peccatorum suorum indulgentia, non duximus admittendam, ne contra vos ipsos forte iram Domini provocetis, qui, sicut credimus, merito devotionis, qua ad Terram sanctam Cruce signati addicti sunt, Victoriâ de Saracenis in Lusitania contulit. Dum autem eos in partibus vestris morari contigerit, eis plenam peccatorum veniam indulgemus, ac si ultra mare in propugnatione Terræ sanctæ mere-

reverent-

reverentur. Hæc Epistola die duodecima Januarii anni sequentis millesimi ducentissimi decimi octavi data est.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

§. XI.

*Terræ sanctæ facies.*

Inter hæc redditur Pontifici Magistri Templariorum Epistola, qua Terræ sanctæ faciem docebatur, in hunc ferme modum: *Paulo ante quam Epistola huius lator hinc abiret, innumerabilis Cruce signatorum multitudo, Equites, Gregarii que ex Germaniæ Imperio & aliis provinciis in portum Acriensem in-vekti sunt. Ceterum Sepbedinus, magnus Babylonæ Soldanus, adventum Regis Hungariæ, & Ducum Austriæ atque Moravia, pertimescebat. Metum augebat Frisonum classis, quæ propediem ad futura dicebatur, jamque Coradinus ejus filius cum copiis finibus nostris imminebat. Non meminimus, multis abhinc annis Infidelium vires, magis ac bodie sunt, fuisse accisas. Sed apud nos quoque annonæ carissimo est pretio, parum admodum frumenti in horrea invehi potuit, & valde modicum peregrinæ naves attulerunt. Desiciunt equi, nec parata pecunia emi possunt. Quare Cruce signatis suadeas, ut alimenta copiose, & equos, quotquot possunt, navigiis imponant. Cum Rex Hungariæ necdum advenisset, statuere-*

H h 4

mus,



Sæcul. XIII. A.C. 1217. *mus, ad urbem Neapolim Syria moveri, Coradinum aggressuri, nisi ante pugnam fugeret, nunc vero tot Principibus presentibus communi consilio terra marique regionem Babylonia invademus, & Pelusium \* obsidebimus, ut liberum nobis Hierosolymam iter præstemus.* Notet Lector, quod hic nomine Regionis Babylonica Ægyptus veniat.

\* Damiete.

Honorius Papa, accepta hac Epistola, Clericos populumque Romanum in Basilicam Salvatoris, seu Ecclesiam Patriarchalem Lateranensem, convocavit, unde omnes nudis pedibus supplicantium ritu, Clericis SS. Petri & Pauli capita præferentibus, ad S. Mariam Majorem processerunt. Hæc ipse Papa refert in quadam Epistola encyclica, ad omnes Episcopos data, quibus præcipit, ut quilibet in sua Diocesi similes preces celebret, & Crucigeros hortetur; se ad professionem in Terram sanctam proxima expeditione compararent. Hæc Epistola vigesima quarta Novembris anno millesimo ducentesimo decimo septimo data est, cui Papa descriptum exemplar Epistolæ a Magistro Templariorum sibi missæ addiderat.

2. ep. 739.  
Rain. n. 27.

Feria VI. post Festum Omnium Sanctorum, nempe die tertia Novembris, Rudolphus Patriarcha Hierosolymitanus Acria excessit, ad Castra Crucigerorum, qui

qui jam multum viæ processerant, iturus, sanctam Crucem, videlicet ejusdem partem, gestans. Tunc enim vulgaris erat opinio, Christianos, ad Tiberiadem cum Saladino manus conferturos, Crucem in duas partes divisisse, atque, altera servata, alteram ad locum pugnae delatum, fuisse amissam. Id Jacobus Vitriacus ab antiquis accepisse se memorat. Rex Hungariæ & Dux Austriæ, e castris egressi, nudis pedibus se obvios venienti intulerunt, ac Crucem osculo venerati, in Ægypti Soldanum moverunt, cujus filius Coradinus se se Christianos ex Acria urbe expulsum jactaverat. Sed militem abduxit, tumque Cruce signati in vigilia S. Martini in Jordane amne, nemine obsistente, corpora abluerunt. Inde Acriam revertuntur onusti præda & captivis, ex quibus impubes, quotquot potuit, Episcopus Acriensis, hos precibus, alios pretio a militibus sibi tradi obtinuit. Eos deinde a se baptizatos piis mulieribus alendos commisit, donec ad ætatem scientiis ad discendis aptam pervenirent.

Post Natalem Domini Crucesignatorum exercitus in quatuor partes sectus. Rex Hungariæ, exemplum sequente Rege Cypro, Tripolim petiit, a Patriarcha Hierosolymitano aliisque sacrae militiæ Ducibus vehementissime, sed frustra, per-

H h 5 manere

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

Jac. Vit. lib.

3. p. 1129.

Godof. SA-

nut. p. 207.

Math. Par.

an. 1216.

**Sæcul. XIII.** manere rogatus; eum ergo inexorabilem cum omnibus suis Patriarcha communicavit. Quo non obstante, Rex Hungariæ, postquam, trimestri in Terra sancta consumto, voto edito satisfecisset, in Regnum suum sibi redeundum esse credidit. Rex Cypri Hugo Lusignan juvenis erat, anno sequente Tripoli functus, relicto filio Henrico novem mensium pusione. Rex Hierosolymæ, Dux Austriæ, Episcopi, Monasteriensis & Ultrajectensis Arcem Cæsareensem restaurarunt. Templariis vero & Equitibus Teutonicis Arcem, quæ deinde Promontorio vicino extruere curæ fuit.

*Lign.*  
*d'outre mer.*  
*p. 359. Jord.*  
*M. S. ap.*  
*Rain. 1218.*

## §. XII.

*Albigenses.*

**D**um Simon Comes Montfortius cum Legato Sacræ Sedis Bertrando in Provincia Rebellibus arma infert, Raymondus Comes Tolosanus, qui in Hispania fuerat, superatis Pyrenæis montibus Tolosam urbem mense Septembri anni millesimo ducentesimo decimo septimo clam intravit, quorundam sibi occulte faventium opera, ac brevi totam subiecit potestati. Comes Montfortius comperta Tolosanorum seditione, trajecto celeriter Rheno, Sacræ Sedis Legato comitante, urbem oppugnare cepit.

*Sup. n. 6.*  
*de Pod.*  
*Laur. c. 30.*  
*Hist. Alb.*  
*684. 85.*

sed exiguo militum numero vasta moenia  
 justa obsidione cingere non valuit.

Interim vero in Franciam misit Fulconem Episcopum Tolosanum, ac quosdam alios, bellum sacrum prædicaturos, ex quorum numero Magister Jacobus Vi-triacus erat. Multi, ut hortantibus obsequerentur, Cruce accepta, sub initium veris unacum Episcopo ad obsidendam Tolosam advenerunt. Ceterum sub idem tempus Fulco Papam rogavit; licentiam sibi concederet Episcopatum suum dimittendi, aut eundem in plures Diceses divideret, quod tandem post annos exinde centum perfectum est. Tunc vero Honorius Papa Fulconi utrumque denegavit, sine dubio, quod hujus viri virtutem iniquissimis temporibus Ecclesiæ Tolosanae necessariam esse judicaret.

Honorius Papa per literas Legati sui Bertrandi quid ageretur, edoctus, Epistola, vigesima tertia Octobris ad eum data, præcepit; Jacobum Regem Arragoniæ, ejusque Barones cohiberet; ne Simonis Montfortii Ditiones hostiliter invaderent, sed inducias a Concilio Generali præscriptas servarent, adjiciens, si querelam contra Simonem Montfortium Comitem haberent, eam mota in Judicio actione ad Sacram Sedem deferrent. Legato autem mandatum erat, id

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1217.

ep. 325.

1. ep. 692.  
 Rain. n. 55.

Sæcul. XIII. id detrectantes excommunicare, eorum  
 A. C. 1217. que terras interdicto Ecclesiastico subi-

Legati sui admonitiones optato effectu  
 caruisse, datis ad Regem Arragoniæ  
 ris exprobravit, ingratum animum in  
 cram Sedem, quæ ipsum, parente epi-  
 fatis functo, de manibus inimicorum  
 rum eripuisset, *ut nihil dicam*, addit  
 Sup. Lib. LXXVII. §. 31. *Postifex, Regnum tuum Ecclesie Romanæ  
 esse subiectum.* Observaverit

Sup. Lib. LXIII. §. 11. *quantum juris sibi Gregorius VII. in  
 in Artagoniam modo, sed in totam Hispa-  
 niæ esse affirmaverit. Tum Papa pro-  
 sequitur: *Districte igitur tibi præcipi-  
 mus, nisi Gratiam Dei nostramque pro-  
 ditam velis, ne quodcunque auxilium  
 nus Tolosanæ concedas, nam nisi ob-  
 dias, ad aliarum nationum arma contra  
 te adhibenda nos coges.* Memorati  
 omnino digna est hæc comminatio. Nempe  
 intelligebant Pontifices, solum Ces-  
 surarum Ecclesiasticarum metum ad  
 compellendos ad obediendum Regem  
 non sufficere. Hæc Epistola vigesima  
 octava Decembris data est. Quia vero  
 Rex Arragoniæ juvenis solus regnare  
 per atatem necdum poterat, simul etiam  
 Papa cuidam Procerum, præcipuo in Re-  
 publica Ministro, scripsit.*

ep. 827. 826. Ad cives quoque urbium Tolosa,  
 Massiliæ, & Avenionis Papa Epistolam  
 dedi-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1217.

ep. 825.

ep. 831.

ep. 829.

dedit, promittens Avenionensibus, quod Legatum suum ad revocandas Censuras contra eos latus compulsurus esset, si mandatis suis obsequerentur. Tandem Raimundum juniorem Comitem Tolosanum, data Epistola, objurgavit, quod Sacræ Sedis indulgentia, qua partem Ditionum parentis sui recepisset, abusus esset. Hortatus est, ut patris infelicis exemplo territus saperet, offerens, se sententiam secundum æquitatem & Justitiam laturum esse, si querelas, quas crederet justas ad Sacræ Sedis tribunal deferret. Hæ Epistolæ ultimis diebus mensis Decembris anno millesimo ducentesimo decimo septimo datæ sunt. Quia vero solæ Epistolæ debile nimis remedium erant, ad continendos Reges, populosque, ambitione & lucri cupiditate stimulos, Regem Franciæ Philippum Augustum quoque datis literis hortatus est; Simoni Montfortio, Vasallo suo, præberet auxilium, hanc enim causam non minus Regni Francorum quam Religionis negotium esse. Nempe pleraque terræ Albigensium, a Comite Simone occupatæ, Feudi vinculo Franciæ Regno connectebantur, earumque pars minima ab Arragonia pendebat. Ergo Papa Philippum Regem excitabat, ad copias subsidiarias Comiti mittendas, quæ voto peregrinandi ultra mare non essent

Tolosa, istolam dedit

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.

essent obligatæ, urgebatque Episcopos  
Franciæ ad operam omnibus viribus  
conferendam.

## §. XIII.

*Joannes Columnius Legatus Constan-  
tinopoli.*

Præterea Papa negotium de libertate  
Legati sui Joannis Columnii cum  
Theodoro Comneno, Epiri Principe, per-  
tractabat, ad quem Joannem Episcopum  
Crotoniatam & quemdam Anachore-  
tam, nomine Ephrem, miserat. Theo-  
dorum terrebant Crucesignatorum Ve-  
netorum, Francorum & Hungarorum,  
quos Pontifex, promissa Indulgentia,  
contra se excitaverat, molimina. Ce-  
teris autem omnibus magis accendeban-  
tur privati lucri spe Veneti, quod Dy-  
rachium in suam iterum potestatem re-  
digendi occasione inhiarent. Cum igitur  
tot hostes sibi imminere sciret, Pon-  
tificis Nuncio aures dedit, ac jurejuran-  
do promisit, quod se se mandatis Eccle-  
siæ Romanæ subjectus esset, & Lega-  
tum libertati redditurus. Patuerunt  
protinus redeunti brachia Pontificis,  
quod ex ejus Epistola, vigesima quinta  
Januarii anno millesimo ducentesimo  
decimo octavo data, cognoscimus, eo-  
que sub tutelam S. Sedis recepto, pro-  
hibuit

hibuit Cruce signatis, Venetiis & An-  
 conæ ventos faventes expectantibus, ne  
 Theodori Ditiones, nisi excommunica-  
 tionis fulmine tangi vellent, bello laces-  
 serent. Tanto ardore Papa Legatum  
 suum liberari, & universos Cruce signa-  
 tos in Terram sanctam mitti cupiebat.  
 In illis pactis de Imperatore Petro Cur-  
 tenacensi nulla fit mentio, quia in car-  
 cere obierat. Legatus vero Joannes  
 Columnius, mense Martio liber dimissus,  
 Constantinopolim petiit, Legationis suæ  
 officio functurus.

Ubi Constantinopolim pervenit Co-  
 lumnus, plurimos abusos abrogandos  
 deprehendit. De quibus Papam Hono-  
 rium consuluit in hæc verba: *Non nul-*  
*li Græcorum Ordines Sacros furtive ac-*  
*cipiunt ab Episcopis, quorum Diæcesani*  
*non sunt. Aliqui, licet sint excom-*  
*municati, in Ecclesiis interdicitis cele-*  
*brant, & Græcorum Ritui obstinate*  
*inhærentes, Latinis Præsulibus nullate-*  
*nus obediunt. Quidam Episcopi tam*  
*Græci quam Latini in aliorum Diæce-*  
*sibus consecrant, ibidemque Decimas per-*  
*cipiunt, læso Episcoporum Diæcesano-*  
*rum jure, & quamvis alias Græci nec*  
*Decimas percipere, nec hujusmodi Conse-*  
*crationes peragere soleant. Præterea*  
*Græci Laici Religioni sibi non ducunt,*  
*uxores suas, quando libet, dimittere, &*  
*aliis*

Sæcul. XIII.  
 A. G. 1218.

ep. 881. 884.

Ric. S. Ger.  
 1218.

c. ult. extra  
 de transact.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1218.

*aliis conjungi. In Dominicis & Festis, sicut aliis diebus, labore manuum occupantur. Non nulli Optimates tam Latini quam Græci, Abbatias aliasve Ecclesias cum earum subditis & fundis injuste detinentes, Decimas non solvunt, illosque qui eas dare detrectant, tuentur. Et si contra ipsos, sive ad istos, sive ad alios abusus reprimendos, sententia excommunicationis feratur, contemnunt. De his omnibus itaque Legatus querebat, quid tibi faciendum esset, & quam pœnam mereretur Metropolita, qui suis licentiam merces, rei Christianæ noxiæ, Alexandriam deferendi dedisset, spreto Concilii Oecumenici Decreto.*

Respondit Papa: *Cum Canones & Leges civiles de his capitibus ferme omnibus decreverint, secundum ea, quæ definita sunt, ages. Tuam quoque operam ad Partes dissentientes reconciliandas offeres, & non nunquam de rigore legis aliquid relaxabis, ubi expedire visum fuerit, pensatis Imperii Græcorum adjunctis, & delinquentium multitudine. Illos vero casus excipies, in quibus nec transactio nec dispensatio locum habent, quales in causa Sacramenti Matrimonii sunt. In rebus autem, de quibus Leges diserte nihil præcipiunt, semper illud, quod humanius est, pensata personarum causa.*

causarum, temporum & locorum ratio- Sæcul. XIII.  
ne statues. A.C. 1218.

§. XIV.

Contra Gervasium Patriarcham  
querelæ.

Sub idem tempus Honorius Papa contra Gervasium Patriarcham Latinum Constantinopolitanum conquestus est, quod multa Auctoritati Sacræ Sedis adversa tentaret. In illa Epistola, ut a <sup>2. ep. 1002.</sup> multis ad nos delatum est, inquit Papa, <sup>R. n. 26.</sup> simplices Clericos cum Cappis manicatis (erat is vestitus Clericis vetitus) Legatos de tuo latere mittis, cum ea plenitudine potestatis, quam Legati Sacræ Sedis accipiunt; illi in Patriarchatu, tibi commisso, iudicium causarum, quæ nec ad <sup>Conc.</sup> te nec ad ipsos per Appellationem deferuntur, vindicare sibi præsumunt, inconsultis Prælatiis, eorum subditos excommunicant, & excommunicatos absolvunt. Præponunt Episcopos Archiepiscopis suis, quibus metropolitico jure subjiciuntur. Appellationes non recipiunt, quas ad Sacram Sedem interponi contingit. Eis, qui in Episcopos manus violentas injiciunt, absolutionis beneficium impendunt, cum tales secundum proprium tuum privilegium ad Romanum Pontificem sint remittendi. Tandem Ecclesiastica etiam <sup>Lat. IV. c. 16</sup>

Sæcul. XIII. *Beneficia conferunt, non expectantes,*  
 A. C. 1218. *donec potestas eadem conferendi secun-*  
*dum Lateranensè Concilium ad te sit de-*  
*voluta.*

Epistolam Papa claudit in hunc mo-  
 dum: *Quantacunque igitur Dignitate*  
*fulgeas, te nobis scias esse subiectum, &*  
*utcunque tibi parcere cupiamus, tantam*  
*tamen superbiam tolerare nos nec posse*  
*nec debere.*

## §. XV.

*Pelagius Legatus in Palæstina.*

2. ep. 117. ap.  
 ap. Rain.  
 n. 1.

Pelagium Episcopum Albanensem, an-  
 tea Constantinopoli Sacræ Sedis Le-  
 gatum, Henrico Imperatore regnante,  
 Romam reducem, Honorius Papa in Pa-  
 læstinam cum Legati Sedis Apostolicæ  
 potestate misit, Cruce signatorum Du-  
 cum, tradens ei Epistolam, ad Præsules  
 Latinos illius terræ datam, cujus sum-  
 ma erat: *Hucusque Christianorum pec-*  
*cata ipsorum labores & Pontificum An-*  
*tecessorum nostrorum optato eventu fru-*  
*strarunt, nec Terra sancta liberari po-*  
*tuit. Istud vero nos maxime solatur,*  
*quod multi, dum Hierosolymam terre-*  
*stem expugnare adlaborarunt, ad ce-*  
*lestem cum Martyrii palma pervenerint.*  
*Speramus nihilominus, nos tandem a*  
*Deo misericordiam esse consecuturos,*  
*cum videamus innumerabilem multitudi-*  
*nem*

nem Cruce signatorum ex toto Christiana-  
no orbe ad præstandum vobis auxilium

procurrere, & prodigiosam victoriam,  
quam per Hispaniam migrantibus cæ-  
lum contulit, perpendimus. Tum iis

Papa Legatum commendat suum, in  
eum potissimum finem missum, ut con-  
cordiam animorum conservaret. Hæc

Epistola die decima octava Maji anno  
millesimo ducentesimo decimo octavo

data. Similem in modum Honorius  
Regibus illiusque Regionis Principibus  
scripsit. Pelagius vero Legatus, cum

Jacobo Comite ab Andrie totius exer-  
citus Romani Præfecto, Brundusii nave  
conscensa, in Syriam, cum illo autumnno

plurimi Crucigeri proficiscerentur, trans-  
misit.

Haud diu post, cum validæ manus  
Crucesignatorum Francorum Genuam  
pervenissent, Archiepiscopo Burdega-

lensi, Episcopis Parisiensi & Andegavensi,  
Comitibus Marchiæ, & Niverni Ducibus,

a Papa petierunt aliquem ex Car-  
dinalibus sibi dari, qui eos cum potesta-  
te Legati comitaretur, quibus ille vige-

sima octava Julii rescripsit; mittere se  
ad eos Robertum Cardinalem Curso-

Legatum, sed tanquam verbi divini  
Præconem (quippe eximiæ eloquentiæ  
laude celebrabatur) cum enim Pelagio

hanc

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.

Ric. de  
S. Germ.

3. ep. I.

Bellum sa-  
crum.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.  
hanc Legationem contulisset, non posse eandem alteri concedere; sed Pelagium adirent in omnibus causis, quæ ad ejus Ministerium pertinerent.

*3. ep. 38.* Inter hæc Pontifici Joannis Regis Hierosolymæ, Leopoldi Ducis Austriae, Patriarchæ Hierosolymitani, & Archiepiscopi Nicosiensis in Cypro literæ redduntur, in quibus referebant, primas naves, exercitus Christiani partem devenientes, die Martis ante Pentecosten in portum Pelusinum fuisse appulsas. Nempe vigesima nona Maji Crucesignati Germani, qui Ulissipone hyemaverant, advennerunt.

*Godef. ann.*  
1218. Hi Pelusii prospere in continentem evaserunt, nemine Infidelium litora propugnante.

*Ford. MS.*  
*ap. Rain.* Tum in illa Epistola successum obsidionis & rerum statum, cum nuncius dimitteretur, memorant, rogantque Papam vehementissime, ut militum supplementa cogat. Fervente obsidionis opere die nona Julii deficiens

*Math. Par.*  
1218.

*3. ep. 39.* lunæ, eclipsin patientis, lumen mortalibus subtractum est, quam rem tam Christiani quam Musulmani in bonum sibi omen traxerunt. Papa vero, ut Pelusium urbem obsidentium precibus aliquid daret, Genuam, Venetias, & ad alios Italiae portus, atque ad Crucigeros Francos, Germanos ceterarumque nationum, ad Episcopos & urbium Magistratus

stratus scripsit; cuncti Sacri peregrinan- Sæcul. XIII.  
 tes recta via Pelusium navigarent, & A.C. 1218.  
 conjunctis viribus Ægyptum expugna-  
 rent. Id enim futurum, si Pelusium in  
 suam potestatem redigissent, Pontifex  
 sperabat.

Ceterum Pontificem sua expectatio *Jordan.*  
 fefellit; nam Legati præsentia neuti-  
 quam concordiam fovit, sed animorum  
 dissensionem attulit. Huc usque Rex  
 Hierosolymæ exercitui imperaverat; at  
 Legatus, cum ad deliberandum conve-  
 nissent, Rege præsentem affirmavit, sibi  
 competere militare imperium, quod  
 hanc expeditionem Cruce signati, man-  
 dante Ecclesia, suscepissent, nec Regno  
 Hierosolymæ subjecti essent. Iram qui-  
 dem tenuit Rex dissimulans, de omnibus  
 tamen, quæ gerenda erant, ut antea, sci-  
 licet ut solus Dominus, decrevit; affe-  
 ctus autem privatorum inter ipsum & Le-  
 gatam S. Sedis dividebantur. In obsi-  
 dione Pelusii totum reliquum hujus an-  
 ni millesimi ducentissimi decimi octavi  
 tempus, atque etiam anni sequentis  
 menses usque ad Novembrem consum-  
 ti sunt.

Obsidione hujus urbis adhuc tenen- *Jac. Vitr.*  
 te, mense Septembri anno millesimo du- p. 1135.  
 centesimo decimo octavo, anno Hegiræ *Godef.*  
 sexcentesimo decimo quinto, fatis fun-  
 ctus est Soldanus Ægypti Saladini frater,  
 quem

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218

*Abulfar.*  
p. 288.

*Bibl. Orient.*  
p. 745.

quem Scriptores nostri Safadinum, Arabes autem *Melic-el Adel Abubecre Job* filium appellant. Is moriens quindecim reliquit filios, ex quibus primogenitus *Melic el Camel* Soldanus Ægypti fuit, dum sex alii Syriam inter se partiti sunt. Latini nostri *Camel Meledinum*, & fratrem ejus *Moaddam* Soldanum Damasci, virum bellicis artibus clarum, Coradinum dicunt. Mors vero *Adel* dissidiorum causa Musulmannis fuit, unde Christianis major victoriæ spes affulgebat.

*Honor. lib. 3.*  
ep. 136.

Querelæ sub idem tempus ad aures Papæ pervenerunt, contra avaritiam Joannis Briennii, Regis Hierosolymæ, Templariorum ac Hospitalariorum, qui ingentem vim auri, ex Europa ad gerendum bellum sacrum a Fidelibus missi, in privata commoda convertere dicebantur. Verum Patriarcha, Legatus Sacræ Sedis, Dux Austriæ, ceterique Principes, datis ad Papam literis, affirmarunt, innocentium famæ per calumniam detrahi, cum constaret, tam Regem quam utriusque Ordinis Equites proprium ærarium sumptibus, in expugnatione Pelusii factis, exhaustisse. Quare Papa Legato suo & Patriarchæ in mandatis dedit; eorum innocentiam publicedenunciarent, Episcopis vero Franciæ, Angliæ & Siciliæ per literas præcepit, tantam calumniam apud Fideles refutarent.

3. ep. 131.

rent. Præterea Rex Hungariæ sub idem Sæcul. XIII.  
 tempus Hospitalariis S. Joannis Hiero- A. C. 1218.  
 solymæ insigne testimonium exhibuit, *ap. Hon. II.*  
 in quodam Donationis Diplomate, ubi *ep. 1225.*  
 loquitur in hunc modum: *Cum apud eos Rain. n. 16.*

*hospitaremur, vidimus innumerum pau-  
 perum cætum quotidie sustentari, lan-  
 guidos lectisterniis variaque ciborum  
 copia refici, & mortuorum corpora de-  
 center sepeliri. Omnia enarrare lon-  
 gum foret; sed Equites Hospitalarii  
 nunc cum Maria contemplationi, nunc  
 cum Martha Actioni incumbunt, inpri-  
 mis vero adversus hostes Crucis Domi-  
 ni Nostri strenue dimicant. Inde est,  
 quod his Equitibus tantæ opes & Be-  
 neficia in toto Christiano orbe collata  
 fuerint.*

## §. XVI.

*S. Guilielmi Bituricensis Cano-  
 nizatio.*

Geraldus Archiepiscopus Bituricensis,  
 cum sepulchrum S. Guilielmi An-  
 tecessoris sui frequentissimis prodigiis  
 clarere cerneret, eum canonizari a com-  
 pluribus jam annis postulabat. Sæpius  
 in hanc rem Legatos suo & Capituli sui  
 nomine miserat ad Innocentium Pa-  
 pam III. qui negotium differendum esse  
 judicaverat, quo eo manifestius de Gui-  
 I i 4 lielmi



Sæcul. XIII. lielmi Archiepiscopi sanctitate con-  
A. C. 1218. flaret.

*ep. 158.*  
*Rain. n. 64.*

Geraldo deinde, sedente Honorio Papa, negotium urgenti, ille anno millesimo ducentesimo decimo septimo respondit; etsi præclaræ virtutes ad hominem coram Deo sanctificandum sufficiant, miracula tamen esse necessaria, quibus etiam coram hominibus Sanctus dignoscatur, atque unum per alterum confirmari debere. Itaque Papa duobus Mandatariis Guilielmo Segnelacensi Episcopo Antisiodorensi, & duobus Abbatibus Ordinis Cisterciensis curam commisit; in vitam & miracula Guilielmi Archiepiscopi inquirerent, & acta Romam mitterent. Ipse Geraldus Romam petiit, ut citius ad finem perduceret hanc causam, quæ anno sequente composita est.

*Patr. Bitu-  
rio c. 69.*

*Boll. 10.*  
*Jan. to. 1.*  
*p. 638.*

Quippe Honorius Papa, actis trium Delegatorum acceptis & ad examen vocatis, publicum Consistorium celebravit, atque Episcopis omnibus, tunc Romæ commorantibus, accersitis, ea recitari iussit. Episcopus Pragensis ex Bohemia, tunc Romæ existens, retulit cœlestem revelationem, quam aliquis Decanus suæ Diœcesis de Sanctitate Archiepiscopi Bituricensis sibi factam affirmabat, tumque etiam Decanus interrogatus & auditus est. Tandem pensatis omnibus, Papa

*2. ep. 1007.*  
*R. 1218. n. 33*  
*Hist. univ.*  
*Par. to. 3.*  
*p. 91.*

ab Archiepiscopo, Capitulo, & Episcopis Suffraganeis rogatus, decrevit, ut Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis Sanctorum numero adscriberetur, ejusque Festum omnibus annis in die obitus, scilicet decima Januarii celebraretur. Hæc Bulla die decima septima Maji anno millesimo ducentesimo decimo octavo data. Geraldus Archiepiscopus Biturigas reversus, Episcopis Suffraganeis suis, Abbatibus & Clericis convocatis, S. Guilielmi corpus de terra elevatum arculæ auro argentoque cælatae inseruit. Ipse eodem anno migravit e vita die septima Julii, postquam Ecclesiæ Bituricensi annos novem & menses tres præfuisset. Ei Simon Sulliacensis, Cantor ejusdem Ecclesiæ, postquam sex menses vacasset, successor subrogatus est.

Sæcul. XIII.

A. C. 1218.

Sup. Lib.

LXXVI.

p. 39.

## §. XVII.

*Fratres Prædicatores Bononiæ.*

Sanctus Dominicus tunc temporis Romæ versabatur, nam illuc eodem anno millesimo ducentesimo decimo septimo, quo discipulos suos Lutetiam Parisorum miserat, advenit. Sæpe in Urbe prædicabat tanta eloquentiæ vi & humilitatis decore, ut ingens populi frequentia ad eum audiendum conflueret.

Theod. II.

c. 2. 3.

Hoc anno millesimo ducentesimo decimo octavo ineunte, Roma Bononiam

Jord. M. S.

c. 10.

I i 5

misit

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.

misit discipulorum suorum duos Joannem Navarræ & Bertrandum, iterumque Fratrem Christianum cum quodam Fratre Converso, ubi extremam rerum penuriam passi sunt. Eodem anno Romam venit Manasses Segnelacensis Episcopus Aurelianensis, qui socium itineris Renaldum a S. Ægydio, Doctorem inlytum, Parisiis per annos quinque Juris Canonici Professorem, adduxerat. Is cum quodam Cardinale sermonem familiariter conferens, arcanum aperuit confilium, quo constituerat peragrarè orbem, Jesum Christum prædicans, ejusque imitans paupertatem; sed necdum perspiciebat rationem, qua destinata exqueretur. Cui Cardinalis: *Te ipse melius intelligo quid quæras; Ordo novus nascitur, qui studium prædicandi & voluntariæ paupertatis profitetur, ejusque Auctor hic Romæ degit, prædicationis officio defungens.* Renaldus lætissimus S. Dominicum accersit, cujus spectabili habitu, sermonis dulcedine & argumentorum pondere captus, ejus Institutum sine mora amplecti statuit. Sed ecce illico in morbum gravissimum incidit, jamque medici desperatum affirmabant. Dominicus vero ad preces convertitur, & ægrotus, cum vigilaret ac vehemētissima febre æstualet, visus est sibi conspiciere Sanctam Virginem, duabus præstantis.

stantissima formæ puellis cinctam, quæ  
 ipsum pluribus in locis ungebat, ad eum  
 ferme modum, quo Infirmis Sacramen-  
 tum extremæ unctionis confertur, sed  
 aliis utebatur verbis. Renaldus protin-  
 us sanatus est, idque prodigium S. Do-  
 minicus exinde Fratribus suis narrare  
 sæpiuscule audiebatur. Ille, novum In-  
 stitutum Fratrum Prædicatorum rite  
 professus, nihilominus, Sancto Dominico  
 licentiam concedente, iter ultra mare  
 in societate Episcopi Aurelianensis su-  
 scipit; unde reversus Bononiam anno  
 millesimo ducentesimo decimo octavo  
 vigesima prima Decembris venit. Tunc  
 vero totum se prædicationis officio addi-  
 xit, quod cum ardentissimo zelo obiret,  
 paucissimi peccatorum usque adeo e-  
 rant obstinati, ut ad pœnitentiam non  
 moverentur, sed tota civitas Bononien-  
 sis pietatis studio accenderetur. Com-  
 plures ex iis, Ordinem Fratrum Prædi-  
 catorum amplexi, multum & non sine  
 fructu pro salute proximi laborarunt.  
 Primum domicilium nacti sunt Bononiæ  
 prope Ecclesiam, vulgo *de Mascarelle* *hist. Bonon.*  
 dictam, sed paulopost Renaldi adventum  
 Episcopus Bononiensis, precibus Cardi-  
 nalis Hugolini motus, eisdem Ecclesiam  
 S. Nicolai *de Vineis* donavit. Rudol-  
 phus quoque Presbyter & Episcopi Ca-  
 pellanus Dominicanis nomen dedit, ac  
 præ-

Sæcul. XIII.

A. C. 1218.

3. c. 1.

Sigon. V.

p. 93.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1218.

c. 3.  
Sigm. de  
Episc. Bon.  
p. 162.

præterea complures viri Bononiæ spectatissimi, quos inter fuit Rolandus Cremonensis, Physicæ studiosus vir (videlicet Medicinæ) qui scholæ Bononiensium magna doctrinæ laude præfuerat. Eum maximo ardore vestem sacri Ordinis cito recipere gestientem, Renaldus cucullo sibi ipsi detracto involvit, ac protinus campanam pulsari & hymnum *veni Creator* decantari præcepit. Quæ subita mutatio, concurrente ingenti populi multitudine, lætitiâ communem Civibus Bononiensibus peperit. Rolandus deinde omnium primus Parisiis Libros Theologicos Fratribus prælegit. Moneta, Artium liberalium Professor, in Longobardia celeberrimus, oratione Renaldi, ad populum dicentis, excitatus Ordine suscepto, deinde suo exemplo & hortatu plures ad idem Institutum pertraxit. Moneta magna vi dicendi præsertim ad confundendos Hæreticos pollebat.

§. XVIII.

*Simonis Montfortii obitus.*

Sancto Dominico, Romæ commoranti, nuncium allatum est, Simonem Comitem Montfortium obiisse. Eum jam novem menses Tolosam obsidentem tanti laboris fastidium subire cœperat. Præterea deficiebat ærarium, & ipse acerbas objur.

objurgationes Bertrandi Legati, eum ignorantia & vecordia accusantis, amplius æquo animo ferre non poterat. Quare a Deo mortem petere, qua ad pacem perveniret, dicebatur. Die altera post Festum S. Joannis vigesima quinta Junii anno millesimo ducentesimo decimo octavo, cum recitationi horæ matutinæ interesset, familiares nunciarunt, hostes arma cepisse & in fossa, qua arx cingebatur, delitescere. Ipse arma sibi ministrari jubet, quibus arreptis, ad Ecclesiam celeriter se confert, ut, Sacerdote sacris Mysteriis Missæ operante, oraret. Comite intrante, inchoata jam erat Missa, cui cum devotissime esset intentus, ab amicis iterum monetur, bellicarum machinarum custodes & præsidarios validissimo impetu premi, quibus ipse: *Sinite me intueri Sacerdotem, Sacrificium Missæ celebrantem, & Redemptionis nostræ Sacramentum conspiciere.* Jamque accurrens alter nuncius & anhelans, *festina, inquit, & adjuva; commilitonum nostrorum extrema est necessitas, succumbunt.* Cui ille, *non exibo, inquit, priusquam Salvatorem meum videro.* Ubi deinde Sacerdos pro more hostiam elevavit, Comes flexis humi genibus & extensis in cælum manibus, ait, *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* adjecitque: *Eamus & moriamur, si opus est,*

Sæcul. XIII.  
A.C.1218.

*Petr. Hist.*  
*Albig. c. 86.*  
*G. de Pod.*  
*Laur. c. 30.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.

*est, pro eo, qui pro nobis mori dignatus est.* Ipso adveniente rediit obsidentibus animus, atque Tolofani usque ad vallum repulsi sunt. Cum vero Simon Comes paulisper ad suos balistarios declinasset, ut jaculorum lapidumque grandinem effugeret, saxo ab hostibus excusso in capite ictus est. Nec mora, lethale vulnus esse intelligens pectus manibus percutit, Deo & Sanctæ Virgini animam commendat, ac corrui exanimis, quinque præterea sagittis confossus.

*Catel. c.  
Toul.*

Illico filium ejus Amalricum natum majorem parentis sui in imperio militari contra Albigenses Successorem cuncti Equites Franci agnoverunt, illique, quibus ditiones concesserat, ei Feudi titulum fidei jurejurando promiserunt. Amalricus, mense uno adhuc in obsidione Tolosæ consumpto, a cœpto desistere coactus est, tum quod tam auro quam annonâ destitueretur, tum etiam quod Peregrini milites domum remeare cogitarent, ac multi Regionis illius incolæ, comperta Simonis Comitum morte, deferto filio ad inimicos deficerent. Ipse defuncti parentis corpus Carcaffonam detulit, postquam illud, more Francorum, parari jussisset, videlicet, ut ego quidem conjicio, in aqua ferventi lixari, ita ut consumpta carne nihil præter ossa super-

superesset. Hoc tempore Petrus Monachus Vallium Cernacensium Historiam suam de Albigenibus claudit.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1218.

§. XIX.

*Ordo Fratrum Prædicatorum propagatur.*

Ergo S. Dominicus, comperto Comitum Simonis obitu, Tolosam venit, ut Fratribus suis Domus S. Romani, & Monialibus Proviliensibus solatio esset, ac in eisdem in tanto discrimine præsidium necessarium conciliaret. Mense igitur Novembri ineunte, Roma profectus, postquam memoratis duobus Monasteriis, auxilio Episcoporum, securitatem præstitisset, in Hispaniam eodem anno millesimo ducentesimo decimo octavo se contulit; ubi duo condidit monasteria, alterum Madriti, quod non diu post Monialibus traditum est, alterum Segobiæ, quod primum in Hispania Fratrum Prædicatorum domicilium fuit.

Tum Vir sanctus Tolosam rediit, indeque iter Parisios suscepit, comitante Fratre Bertrando, primo postea in Provincia \* hujus Ordinis Provinciali. Ex \* Provence regione vulgo *Roquemadour* in Ditione Cadurcensi exeuntes, obvios habuerunt duos peregrinos Germanos, qui cum eos viderent in via Psalmos & Lectio-  
nes



Sæcul. XIII.  
A.C. 1218.

Th. 2. c. 8.

nes recitantes, pio exemplo moti, itin-  
ris socios se junxerunt. Ubi ad quod-  
dam oppidum pervenerunt, optimi Ger-  
mani Dominicum & Bertrandum ad cœ-  
nam invitatos quatrinduo deinde suis  
sumtibus liberaliter aluerunt. Tunc  
vero Dominicus ad Bertrandum, ducto  
suspirio, *Frater mi, inquit, mea mihi  
conscientia exprobrat, quod Peregrino-  
rum istorum pecunia sustentari nos po-  
tiamur, nec tamen ullum officium spiri-  
tuale rependamus. Petamus a Deo do-  
num lingua eorum loquendi.* Orant er-  
go, & paulopost duo illi Peregrini am-  
bos se ad pietatem lingua germanica ex-  
hortantes obstupescunt, quod prodi-  
gium altero quatrinduo, usque in urbem  
Aurelianum, unde in diversa abierunt,  
continuatum. Altera die Dominicus ad  
Bertrandum: *Jam jam Lutetiam intra-  
bimus, si Fratres nostri noverint, quod  
domum linguæ peregrinæ acceperimus,  
pro Viris sanctis nos habebunt, & si  
res ista ad sæcularium aures pervenerit,  
vanam gloriam capessamus. Quare pra-  
cipio tibi, nec hanc cœli gratiam ulli  
mortalium ante obitum meum manifestet.*

3. c. 9.

Paruit Bertrandus, & S. Dominico vivo  
siluit.

Ford. c. 34.

Vir sanctus, anno millesimo ducent-  
tesimo decimo nono Parisios adveniens,  
triginta Frates in Congregatione S. Jaco-  
cobi

cobi invenit, ubi modico temporis spatio commoratus, Italiam petiit, ac illius anni æstate Bononiam pervenit, ibique magnam Congregationem S. Nicolai, sub Renaldi Fratris regimine exortam esse, lætatus est. Quemdam nomine Odericum, totam paternam suam Hæreditatem, quæ a peritis pluris quam quingentis libris, pro monetæ pretio in illa regione, æstimabatur, offerentem, Vir sanctus præfracte repulit, atque Donationis decretum, adjecto Episcopi Bononiensis testimonio, conscriptum, nullum declarari iussit. Volebat enim, Fratres suos de acceptis elemosynis frugaliter vivere, paupere vestitu contentos esse, & humilibus casis tegi. S. Dominico absente, Rudolphus, Domus Bononiensis Paterfamilias, cellulas valde angustas ampliores reddi curaverat, quas cum ipse vidisset, Rudolphum & alios acriter objurgans, obortis lacrymis, *an ergo, inquit, hoc jam tempore & me inspe-  
sante, paupertatem abjicere & palatia  
vobis comparare audebitis?* nec opus illud, quoad Dominicus in vivis fuit, absolutum est.

Ex urbe Bononiensi S. Dominicus Fratrem Renaldum Parisios misit, Fratribus, quos ille collegerat, & tenerrimo patris affectu foverat, acerrime lugen-  
tibus. Renaldus Parisiis maximo ser-  
*Jord. c. 35.  
Th. c. 10.*

*Hist. Eccles. Tom. XIX.* Kk vore

Sæcul. XIII. A. C. 1218. c. 39. 40. vore non verbis modo, sed etiam eximie factis prædicans, viros duos præclaros, utrumque Germanum, Jordanum & Henricum Ordini suo conciliavit. Jordanes in Saxonia, Diocesi Paderbornensi, in loco, tunc *Bortege* nunc *Borventric*, incolarum lingua, dicto, natus, adhuc in Sæculo versatus, caritate in proximum excellebat; etsi enim non esset opulentus, raro pauperem indonatum abire sinebat, præsertim illum, qui ipsi primus occurrebat, quamvis nihil peteret. Is deinde Parisios profectus, ut scientiis vacaret, jam tunc inter Theologiae Baccalaureos eminebat, cum Ordini Fratrum Prædicatorum nomen de-

*Jord. M.S.* dit. Henricum eximie parentibus ortum, atque adhuc puerum præbenda in Ecclesia Ultrajectensi auctum, optimis moribus instituit quidam Canonicus piissimus, macerationi corporis & bonis operibus addictus. Qui adolescentulum docuit, in Ecclesia frequentissime orare, vitia horrere, luxum contemnerè, amare puritatem; unde Henricus lenissima indole a natura præditus, Fratris sui cura & doctrina ita excultus est, ut virtutes ei non tam acquisitæ quam innatæ viderentur. Parisios deinde delatus, illico se studio Theologiae consecravit, & summi ingenii laude atque argumentorum ordinem deligendi soler-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1218.

solertia celeberrimus evasit. Cum eo-  
dem ac Jordanes Parisiis uteretur con-  
tubernio, inde arctissimum amicitia vincu-  
lum nexum est, quod usque ad vitæ  
terminum tenuit.

Iraque, Renaldo fratre Parisiis præ-  
dicante, Jordanes ejus sermonibus per-  
motus, animo constituit Ordinem Fra-  
trum Prædicatorum amplecti, cum cre-  
deret, hanc viam sibi offerri ad salutem  
tutissimam, & talem, qualem, antequam  
hos viros Religiosos cognosceret, sibi  
arcanis votis exoptasset. Tum in pro-  
posito confirmatus, omnibus viribus co-  
natus est Henricum amicum suum ad in-  
dem vitæ genus pertrahere, quia per-  
spectum habebat, quantis dotibus natu-  
ræ & gratiæ ad Ministerium prædicationis  
instructus esset. Repugnabat Hen-  
ricus, at instabat Jordanes, & tandem  
obtinuit, ut Fratrem Renaldum adiret,  
ei confiteretur, & exhortantem se au-  
scultaret. Illo deinde relicto, ad Jorda-  
nem rediit, & quasi Dei voluntatem  
consulturus librum Isaiaæ aperuit. In-  
spicienti occurrerunt illa verba: *Do-*  
*minus Deus aperuit mihi aurem, ut au-*  
*diam quasi Magistrum. Ego autem non*  
*contradico: retrorsum non abii.* Quæ  
ad ejus quæstionem Jordanes quasi divi-  
nam Responsum convenire affirmabat,  
ostendens ei etiam illa, quæ paulopost

Isa. 50. 4. 5.

K k 2 sequun-

Sæcul. XIII. sequuntur: *Stemus simul, ut persuade-*  
A C. 1218. *ret, pulcherrimam & piissimam ambo-*  
*rum societatem nunquam esse dirimen-*  
*dam.* Nocte sequente Henricus, cum  
 matutinis in Ecclesia Beatæ Virginis in-  
 teresset, orando noctem diei junxit, Dei-  
 param rogans, ut animum Ordinem in-  
 grediendi sibi suggereret. Nam maxi-  
 mi faciebat voluntariam Virorum Reli-  
 giosorum paupertatem, cum minime du-  
 bitaret, eos magna fiducia in extremo  
 Judicio Dei faciem subituros. Sed ve-  
 hementer reluctabatur animus, jamque  
 ex Ecclesia abiturus erat, cum subito vi-  
 ctum se sentiens, & lacrymas largiter  
 fundens, surgit, ad Renaldum properat,  
 & voto se obstringit. Tum ad Jordanem  
 reversus, qui actum fuisset, refert. Ni-  
 hilominus habitum Ordinis accipere us-  
 que ad Quadragesimam distulerunt, quo  
 temporis intervallo Fratrem tertium, no-  
 mine Leonem, in suam societatem ad-  
 duxerunt.

Inter hæc Frater Renaldus, haud lon-  
 go tempore Parisiis moratus, in mor-  
 bum incidit, ex quo decessit, & quia Fra-  
 tribus Prædicatoribus necdum erat cœ-  
 meterium proprium, in Ecclesia Domi-  
 næ Nostræ de Campis, ubi Prioratus ex-  
 rat, Monasterio Martyrum subditus, tu-  
 mulo illatus est. Ob ejus mortem trium  
 Novitiorum Jordanis, Henrici, & Leo-  
 nis

Ordo Præ-  
 dicatorum.

nis ardor ne utiquam remisit; sed in die Sæcul. XIII.  
Cinerum, scilicet illo anno millesimo A.C. 1218.  
ducentesimo vigesimo, undecima Februa-  
rii, ad S. Jacobum se contulerunt. Cum-  
que Fratres Antiphonam: *Immutemur*  
*habitu*, ut in Benedictione Cinerum so-  
lent, cantarent, ipsi subito & omnibus  
inexpectati Ecclesiam intrant, & recepta  
Ordinis veste re vera habitum mutant. *Jord. c. 44.*  
Canonicus autem ille \*, (\*) cui educa- \* de Liege.  
tio Henrici curæ fuerat, & duo alii, ejus-  
dem Ecclesiæ viri, virtutibus clari, cum  
eum magno amoris affectu diligerent,  
tenerrime dolebant, quod Fratribus Præ-  
dicatoribus se addixisset, adhuc ignari,  
quam salutare esset novum Institutum.  
Tanquam perditum lugebant tantæ spei  
juvenem, atque deliberabant, quis eo-  
rum iter Lutetiam aggredere tur, ut Hen-  
ricum ab hac vitæ ratione, quam impru-  
dens suscepisset, abstraheret. Sed ali-  
quis in eo cœtu dixit: *Nihil temere a-*  
*gendum. Tota nocte simul omnes Deum*  
*precemur, ut nobis suam voluntatem ma-*  
*nifestet.* Tum cunctis orantibus ad ali-  
quem eorum vox ex alto allapsa est:  
*Hoc fecit Dominus, nec mutari poterit.*  
Ergo revelatione cœlesti acquiescunt,  
datisque Parisios literis, Henricum, quid

Kk 3 sibi

(\*) Superius, Canonicus Ultrajectensis di-  
cebatur.

Sæcul. XIII. sibi per prodigium significatum fuisset,  
 A.C. 1218. edocent, atque ad perseverandum hor-  
 tantur.

Vading. an.  
 1219. n. 1.

S. Dominicus aliquamdiu Bononiæ  
 versatus, Romam rediit, unde Perusiam  
 ad S. Franciscum & Cardinalem Hugo-  
 linum, in illa urbe S. Sedis Legatum, &  
 utriusque amicum, venit. Quadam  
 die, cum serio de rebus Ecclesiæ sermo-  
 nem confererent, Cardinalis interrogat,  
 an gratum ipsis futurum esset, si eorum  
 Discipuli ad Dignitates Ecclesiasticas e-  
 veherentur. *Quippe persuasum mihi ha-*  
*beo, inquit, vos viros oves suas ad*  
*eum modum recturos esse, quo primorum*  
*temporum Episcopi, quibus magnam pau-*  
*peratam amantibus, & sincera flagran-*  
*tibus Caritate, nihil aliud cura erat,*  
*quam populos sibi commissos verbis &*  
*exemplis ad Cælestia dirigere.* Respon-  
 dit S. Dominicus; satis honoris suis ob-  
 tingere, quod ad Fideles docendos, &  
 Fidem contra Hæreticos defendendam  
 vocarentur. S. Franciscus dixit; suos  
 non amplius Fratres Minores fore, si ad  
 Majora ascenderent, eosque, ut Fideli-  
 bus prodesse, in humili statu esse re-  
 linquendos. Ita uterque Prælaturas esse  
 rejiciendas statuit. At Cardinalis hu-  
 militatis studium equidem laudavit, sed  
 mentem non mutavit, ratus, hujusmo-  
 di Ministros, pensata, quæ grassabatur,  
 illorum

Illorum temporum corruptela, utilissimi- Sæcul. XIII.  
 mos Ecclesiæ futuros. A. C. 1219.

§. XX.

*Primum Fratrum Minorum Ca-  
 pitulum.*

Sancto Dominico consilium exponenti;  
 ut ambos Ordines jungerent & unum  
 efficerent, respondit S. Franciscus: *Ca-  
 rissime Frater! voluntas Dei est, ut* n. 2.  
*Instituta nostra in Discipulis nostris*  
*separata existant; quia ista varietate* Opusc. to. 3.  
*infirmi- tati humanæ consulitur, sicque* colloq. 10.  
*illi, quibus unius Ordinis magnus ri-  
 gor horrorem incutit, alterius lenita-  
 tem amplecti possunt. Quibus non ob-  
 stantibus Viri sancti tam inter se quam  
 Discipulos suos perfectam concordiam  
 confirmarunt. Nam S. Dominicus in-  
 terfuit Capitulo Generali, quod S. Fran-  
 ciscus ad Festum Pentecostes prope As-  
 sium urbem, die vigesima sexta Maji  
 anno millesimo ducentesimo decimo no-  
 no celebravit. Advenerunt plus quam* vit. per  
*quinque Fratrum Minorum millia; us-* S. Bonav. c. 4  
*que adeo per novem decemve annorum* Sup. Lib.  
*spatium Ordo iste excreverat. Ergo,* LXXVI.  
*cum eos moenia non caperent, ruri pro-* s. 5 s.  
*pe modum more militari diversabantur,  
 noctu in storeis cubabant, & tuguriolis  
 subito extructis utcunque tegebantur.*

Kk 4 Quam-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

Vad. n. 17.

Quamvis vero nihil annonæ comportas-  
sent, nihil tamen iis defuit, incolis vici-  
narum urbium Assisii, Perusiæ, Folignia-  
ci, Spoleti, aliarumque longius posita-  
rum maxima caritate vitæ necessaria  
præbentibus. Confluebant ex tota illa  
Regione Viri Ecclesiastici, Laici, Nobi-  
les, plebeji, qui non modo necessaria, sed  
etiam commoda suis manibus, a singu-  
lari humilitatis & devotionis affectu,  
Fratribus suppeditabant. Usque adeo  
tangebantur, cum novorum Religioso-  
rum pacem, vitam asperam, poeniten-  
tiam rigidam, concordiam, & erga san-  
cti Instituti auctorem obedientiam, con-  
spicerent. *Hæc est, inquiebant, angusta  
Evangelii via, hinc discimus, cur res tam  
difficilis sit, divitem in Regnum Cælorum  
intrare.*

Cum Cardinalis Hugolinus ad hoc  
Capitulum venisset, & quadam die ad  
Fratres pro Concione dixisset, in fine o-  
rationis eos magnis laudibus cumulavit.  
Mox autem Franciscus timens, ne in-  
tempestivum encomium discipulis suis  
superbiæ & socordiæ occasio esset, con-  
scensa Cathedra & ipse orationem ex-  
orsus est, prædicens, quantæ eos calami-  
tates ab hostibus Ordinem persecuturis  
& quanta pericula manerent. Præter-  
ea fore, ut eorum posteris tepor subre-  
peret, & totius Ordinis rigor relaxare-  
tur.

Exprobravit præsentibus vecordiam, quod neququam debita fidelitate, sed oblata sibi a Deo tam singulari gratia tepide & oscitanter usi fuissent. Denique tanta verborum vi peroravit, ut in cunctis Fratribus non modo omnem vanæ gloriæ sensum extinxerit, sed etiam pudore affecerit. Offendit hæc res Cardinalem, cui, leniter conquerenti, respondit Franciscus: *Domine! ita loquendum mihi esse credidi, ut laudum tuarum materiam conservarem, & Fratres nostros sustinerem, in quibus virtus Humilitatis necdum satis profundas radices egit.*

Altera die Frater Elias Minister in Thufcia, & Frater Joannes Minister Bononiæ, pluresque alii Cardinalem Hugolinum adeunt, & rogant, ut quasi proprio animi motu Francisco suggereret; admittenda esse consilia Fratrum suorum, quorum non nulli essent viri doctissimi, & ad regendos alios idonei, cum ipse esset vir simplex & illiteratus, nec per infirmam valetudinem omnia Ordinis negotia pertractare posset. His addebant; Reverentiam deberi antiquis Regulis S. Benedicti, S. Augustini, S. Basilii, nec tam longe ab iis Instituti novitate & nimio rigore recedendum esse, quasi vero nos, inquiebant, *patribus nostris sanctiores & meliores fieri speravimus.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1219.

*mus.* Cardinalis, captata occasione, in privato colloquio ista Francisco objecit, tanquam principia certissima, quibus omne humanum Regimen niti oporteret. Sed hæc industria nequiquam sefellit sagacitatem Francisci, qui de loco, ubi apud Cardinalem sedebat, surgens, manu reverenter tamen, correptum, ad Fratres in Capitulo congregatos deduxit, ibique orationem exorsus est in hunc modum: *Fratres mei! Cari Fratres! Deus vocavit me, ut in via simplicitatis & humilitatis stultitiam Crucis sequerer, dixitque mihi: Francisce, volo, ut hoc novissimo tempore hominibus insanire videaris, atque tam factis quam sermonibus Crucis stultitiam prædices. Volo, ut tu tuique præter me nihil intueamini, meque solum, sine alia vita Regula, imitemini. Parcite itaque, nec mihi alterius Regulae mentionem insicite, præter illam, quam Dominus mihi ostendere dignatus est. Timeo, ne illi, qui ab ea desiectunt, aliosque abstrahunt, vindictam divinam experiantur, & tandem ad eandem viam non sine suo pudore redire compellantur.* Tumque ad Cardinalem conversus, viri illi doctissimi, inquit, quos mihi tua Dominatio tantopere laudat, prudentia humana te, Deumque decipere vellent, sed se ipsos fallunt, eum Opus, quod Iesus Christus ad eorum,

rum, meamque indigni Servi sui, salu- Sæcul. XIII.  
tem præcipit, destruere aggrediuntur. A. C. 1219.

Ego enim nihil eorum, quæ facio, dicove,  
sibi metipsum tribuo, sed omnia inter lon-  
gus preces penso cum Patre cælesti, qui  
nobis suam voluntatem signis manifestis  
indicavit. His dictis Franciscus de cœ-  
tu se proripuit.

Cardinalis, admiratus fervorem, quo  
locutus fuerat, & perspicacitatem, qua  
secreta cordium, & quidquid ad regi-  
men Ordinis pertineret, protinus co-  
gnoscebat, ad viros Religiosos ait: *Cari  
Fratres mei, audivistis, quæ ipse Spiri-  
tus Sanctus per virum Apostolicum lo-  
cutus sit. Cavete igitur, ne Deum vo-  
bis ita faventem ingrato animo offen-  
datis, qui vere in isto viro paupere est,  
& per os ejus loquitur. Submittamini,  
eique obedite, si Deo placere cupitis,  
nec fructum Vocationis vestræ perdi-  
tum vultis. Expertus scio, haud fa-  
cile Franciscum falli, vel a via, quam ele-  
git, retrahi posse.* Cardinali ita differen-  
ti illi quoque, quibus prius contraria  
sententia steterat, consenserunt.

§. XXI.

*Fratres Minores subjiciantur  
Episcopis.*

Complures Fratres ex provinciis, ultra  
mare positis, ad hoc Capitulum se

n. 26.

COR.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1219.

contulerant, remedium quæsituri, quod in quibusdam locis pessime habiti fuissent, quia nullas literas authenticas exhibuerant, Institutum suum ab Ecclesia fuisse approbatum. Præterea querebantur, quod sibi licentia Verbum Dei prædicandi denegaretur, & Franciscum rogabant; a Papa privilegium obtinerent, quo ubique prædicare, etiam sine consensu Episcoporum, possent. His sanctus Vir indignabundus respondit: *Quid hoc sibi vult, Fratres, an voluntatem Dei non agnoscitis? præcipit, ut nobis prius Superiorum & Præpositorum animos humilitate & obsequiis conciliemus, ac deinde verbo & exemplo eorum subditos lucremur. Si viderint Episcopi, vos sancte vivere, eorumque auctoritati nocere non velle, ipsi vos rogabunt, ut eos adjuvetis, & laboretis pro salute animarum, ipsis commissarum. Advocabunt vos, audient, & imitabuntur. Privilegium vestrum singulare sit, nullum habere privilegium, quod vos spiritu superbiæ inflaret, auctoritatem, aliis noxiam, vobis conciliaret, ac jurgia pareret (\*)*. Aliqui referebant, incidisse

(\*) Haud dubie admiratio subibit, Audite Lector, quod invitis & repugnantibus omnibus SS. Ordinum Fundatoribus, nihilominus Exem

se in complures Parochos duræ cervicis, Sæcul. XIII.  
 quos nec precibus, nec ulla industria, A. C. 1219.  
 nec morum humilitate, nec pietate vi-  
 tæ flectere potuissent, ut licentiam in  
 suis parochiis prædicandi sibi concede-  
 rent, & aliquod subsidium sustentando  
 corpori necessarium sibi a parochianis  
 porrigi paterentur. Franciscus respon-  
 dit: *Eratres mei, missi sumus ad auxi-  
 lium Presbyteris ferendum, & supplen-  
 dos eorum defectus. Quilibet recipiet* Coll. 12. to. 3.  
*mercedem suam non potestati, sed labori* <sup>opusc.</sup>  
*suo comparatam. Nihil Deo magis gra-  
 tum, quam salus animarum, quas faci-  
 lus lucrabimur, si amicitiam Presbyte-  
 rorum coluerimus, quam si nos dissidia  
 dividant. Si Sacerdotes populorum sa-  
 luti obstant, Deus pœnas exiget. Vos  
 vero si filii pacis estis, & Clericos &  
 populum vobis devincietis, eritque hoc  
 obsequium Deo magis acceptum, quam  
 si Fidelium animos quidem caperetis,  
 Clericis vero poneretis scandalum. Ve-  
 strum est Clericorum vitia tegere, ne-  
 gligentia remedium afferre, & nibilo-  
 minus*

Exemtionem ab aliqua saltem parte Jurisdic-  
 tionis ordinariæ Episcoporum invehi potuerint.  
 Nempe tam Summis Pontificibus, quam SS. Fun-  
 datorum filiis potiora pro Exemtione videban-  
 tur argumenta, quæ in Præfatione hujus Partis  
 retuli.

Sæcul. XIII. *minus virtute humilitatis omne homi-*  
A.C. 1219. *num genus vincere.*

§. XXII.

*S. Francisci Literæ.*

Ceterum Literas testes & commenda-  
 titias, de Approbatione sui Instituti  
 Franciscus Fratribus proficiscentibus ne-  
 cessarias judicavit, & suadente Cardina-  
 nale Protectore, Bullam in hunc finem  
 ab Honorio Papa die undecima Junii  
 anno millesimo ducentesimo decimo  
 nono datam obtinuit, ad omnes Episco-  
 pos aliosque Præpositos Ecclesiasticos  
 directam, in qua Fratres Minores tan-  
 quam viros Apostolicos laudat, horta-  
 turque, ut eos benigne excipiant. Hæc  
 prima omnium Bulla est novi Ordini  
 concessa. Capitulo soluto Franciscus,  
 Discipulorum suorum præcipuis in di-  
 versas provincias, cum delecto sociorum  
 numero, missis, sibi ipsi cum duodecim  
 aliis prædicationem in Syria & Ægypto  
 destinavit. Delegatis vero suis tres Epi-  
 stolas tradidit, quarum prima ad Episco-  
 pos & Clericos cujuscunque Diocesis,  
 secunda ad Rectores, Consules, Magi-  
 stratus, tertia ad sui Ordinis Custodes  
 directa est, quibus præcipiebat, ut ista-  
 rum literarum plura exempla describi  
 & distribui curarent. In Epistola ad vi-  
 ros Ecclesiasticos hortatur, ut maxima

revera

Sæcul. XIII.

A. C. 1219.

reverentia tractent, Domini Nostri Corpus & Sanguinem, quem aliis Fidelibus administrandi honor ipsis obtingit, caute sanctissimum Mysterium in vasis pretiosis custodiant, & decore, quo opus fuerit, deferant. Vult etiam, ut Verbum & Nomen Dei, ubicunque scripta occurrant, venerentur. Epistolæ ad Magistratus hæc est summa: *Considerate, diem mortis appropinquare. Obsecro, tanta quantam vobis debeo submissione; ne propter hujus mundi curas, quibus occupamini, Dei & mandatorum ejus obliviscamini, nam in Psalmis legimus: Maledicti qui declinant a mandatis tuis, tempore mortis, auferetur ab eis, quidquid habere videbantur, & quo magis sapientes ac potentes in hoc mundo fuerint, eo magis in inferno cruciabuntur. Suadeo igitur; Domini mei, omnibus rebus aliis postpositis, pœnitentiam agite, & Corpus ac Sanguinem Domini Nostri humili corde recipite. Potestatis honorem, quem vobis contulit, Deo redite, quotidie vespere populum moneri jubete, ut Deo gratias dicat. Nisi feceritis, certissime in die Judicii rationem reddere cogemini. Qui scriptum illud domi suæ custodient, & in eo præcepta servabunt, bis benedicet Deus.*

S. Francisco, ad Missionem & iter in provincias Orientis se accingenti, colloquens

Ps. 118.



Sæcul. XIII. quens Cardinalis Hugolinus de Domo  
 A.C. 1219. S. Damiani aliisque Virginum monaste-  
 riis sui Instituti, jam enim plura conde-  
 bantur, mentionem fecit. Cui ille: Si  
 Vading. solum illud monasterium excipiam, cui  
 1719. n. 43. Clavam inclusi, nullum aliud ego institui,  
 aut me auctore ortum est. Nullius al-  
 terius familiæ muliebris, inquam, nisi  
 illius solius, sive Disciplinam Regularem  
 sive corporis sustentationem spectemus,  
 curam in me suscepi. Nihil enim mi-  
 nus mihi probatur, quam ille Fratrum  
 nostrorum impetus, quo Domos puella-  
 rum in aliis locis fundarunt, earumque  
 regimen capefferunt; istud vero nulla-  
 tenus placet, quod eis nomen Sororum Mi-  
 norum imposuerint. Ergo instantissime  
 Cardinalem rogavit, ut Fratres, quan-  
 tum fieri posset, a familiaritate & cura  
 Monialium averteret, si eorum fama  
 & in virtutibus profectui consultum vel-  
 let. Promisit Cardinalis, se rem ad  
 Summum Pontificem delaturum. At  
 Vir sanctus sæpe, acriter commotus, di-  
 cere auditus est: *Timeo, ne dum a vo-  
 bis Deus uxores abstulit, Diabolus sorores dederit.*

## §. XXIII.

*Res Hispaniæ.*

Sup. Lib. Inter hæc Honorius Papa animum ad-  
 LXXVII. jecerat ad removenda impedimenta,  
 §. 10. quæ

quæ Christianis in Hispania, post Victo-  
riam Alphonſi IX. Regis Caſtiliæ, con-  
tra Mauros proſpere bellum gerentibus,  
obſtabant. Alphonſo IX. anno milleſi-  
mo ducentefimo decimo quarto fatiſ-  
ſuncto, ejuſque filio Henrico poſt ela-  
pſum inde triennium patrem ad æterna  
ſecuto, Berengaria illius filia, Henrici  
ſoror, in Regno Caſtiliæ ſuccedens, filium  
ſuum Ferdinandum, octodecim annorum  
juvenem, quem ex conjugio cum Al-  
phonſo Rege Legionis ſuſceperat, Re-  
gem ſalutari juſſit. Quia vero Berenga-  
ria Alphonſum Regem ſanguinis propin-  
quitate in tertio gradu contingebat, eos  
Innocentius III. Papa ad ſeparandum ſe-  
a tori conſortio anno 1214. compulerat.  
Nihilominus confirmavit poſtea trans-  
actionem, inter ambos Reges Caſtiliæ &  
Legionis inſitam, qua Rex Legionis Fer-  
dinandum, filium ſuum legitimum, a-  
gnoscebat. Eamdem Honorius III. Pa-  
pa, Bulla die decima Julii anno milleſimo  
ducentefimo decimo octavo data, ratam  
habuit, atque alia die decima nona ejuſ-  
dem menſis data, Ferdinandum Regem  
ejuſque Regnum ſub Sacræ Sedis præſi-  
dium ſingularem in modum recepit, ſi-  
mul Archiepiſcopo Toletano, ac Epico-  
pis Palentino & Burgenſi præcipiens, ut  
Cenſuris Eccleſiaſticis illos reprimerent,  
qui juveni Principi arma inferre aude-  
rent.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.  
vit. S. Ferd.  
30. Maj.  
Boll. to. 18.  
p. 295.  
Mariana  
L. XII. c. 7.

ap. Rainald.  
1218. n. 64.  
65.

*Hiſt. Eccleſ. Tom. XIX.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

rent. Nempe non nulli ex Optimatibus eum Regem venerari detrectabant; quin etiam ipse parens Rex Legionis, non obstante juramento contrario a se edito, jus sibi esse in Regnum Castiliæ affirmabat. Verum Ferdinandus possessionem obtinuit, & Regno annos triginta quatuor præfuit, præclaris virtutibus nomen *Sancti* meritis.

ap. Rainald.  
1218. n. 69.

3. ep. 264 &c

ap. Rainald.  
n. 45.

Eodem anno millesimo centesimo decimo octavo ineunte, Honorius Papa Rodericum Archiepiscopum Toletanum potestate Legati Apostolicæ Sedis munierat, qua bellum in Musulmanos prædicaret, seque ipsum Cruce signatis Ducem præberet. Anno sequente eidem Præsuli licentiam concessit, qua partem pecuniæ, ad urbis Hierosolymæ subsidium imperatæ, bello in Hispania impenderet, & votum illorum, qui in Terram sanctam proficisci promississent, commutaret, eo onere, ut contra Mauros pugnarent. Tandem Indulgentiam Cruce signatorum tribuit omnibus Hispanis, qui in eosdem arma caperent. Quia etiam Sanctius VIII. Rex Navarræ Crucem acceperat, adversus Infideles moturus, ei Pontifex Sacræ Sedis præsidium, Bulla Romæ die decima septima Junii anno millesimo ducentesimo decimo nono data, concessit. Miramolino *Abu - Jacob* quoque scriptis Hono-

ep. 454.

ep. 559.

Honorius, rogans, ut Christianis, in terris suis degentibus, Religionis eorum officii libere defungi indulgeret, & ad dens, se ipsum, Christianorum Papam, permultis Musulmannis in sua ditione commorantibus hanc libertatem non adimere; eam Epistolam Gonsalvus Eques Hospitalarius detulit. Hoc anno Honorius Papa, mense Junio Roma excedens, Reate se contulit, ubi postquam usque ad mensem Octobrem permanisset, Viterbium petiit, ac inde iterum Romanam. Verum, Romanorum insultus non ferens, Viterbium rediit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

Ric. S. Ger.

§. XXIV.

*Ecclesia Latina Orientalis.*

Haud diu post, videlicet vigesima nona Octobris, literis ad omnes Episcopos aliosque Prælatos Patriarchatus Antiocheni datis, Honorius Papa monuit; quilibet eorum in sua Regione Theologicam scientiam excoli curaret, & omnes ab Hæreticis caverent. In alia Epistola dicit, sibi compertum habere, quod Presbyteri in plerisque provinciis Evcharistiam nec satis caute nec nitide custodirent, nec Sacrosanctum corpus, ea, qua par esset, veneratione attrectarent. Quare Pontifex sancit, ut Evcharistia fideliter in loco destinato, decoro, & semper clauso, asservetur.

ep. 611.  
ep. 612.  
Rain. n. 21.

C. Sanc. 10.  
de celebr.  
Miss.

L 1 2      Qui-

Sæcul. XIII. Quilibet Parochus doceat, & frequenter  
A.C. 1219. Fideles sibi commissos moneat, reveren-

*Sup. lib.*  
*LXXIV.*  
§. 59.

ter inclinandum esse corpus, quando Hostia in Missa elevatur, vel quando ad agrotos defertur. Sacerdos autem, decenter vestitus, Evcharistiam, velo splendido tectam, ante pectus suum portet, ministro cum lumine semper præcedente. Hæc sunt illius Epistolæ Decretalis verba, ex quibus, Lector, notabis, tantum de inclinatione non autem de genuflexione mentionem fieri.

*Sup. Lib.*  
*LXXV.*  
§. 35.

*Cæsar. IX.*  
c. 51.

Legisti superius, morem elevandi Hostiam in Missa statim post consecrationem non ante viginti ferme annos fuisse inventum, atque usum tintinnabuli, quo populus, cum Sanctum Sacramentum in Missa monstratur, vel ad infirmos portatur, ad se prosternendum monetur, Constitutioni Guidonis Parei, Sacræ Sedis anno millesimo ducentesimo primo Colonæ Legati, originem suam debere. Unde consuetudines istæ Christianis in Oriente, etiam Latini ritus, poterant esse ignotæ.

§. XXV.

*Martyres Marochii.*

Simul ac S. Franciscus ad professionem suam ad Saracenos Orientis cuncta necessaria parabat, etiam ad Saracenos Occidentis, nempe Marochium, ex Discipulis

scipulis suis viros sex, Vitalem, Berar-  
 dum *de Corbe*, Petrum a S. Geminiano,  
 Ajutum, Accursium & Ottonem misit.  
 Berardus linguæ Arabicæ non omnino  
 erat ignarus. Petrus & Otto Presby-  
 teri erant, Ajutus & Accursius Laici.  
 His Franciscus nihil magis quam con-  
 cordiam commendavit, eisque Vitalem  
 Præpositum dedit. Sed is in Arragonia  
 morbo correptus hæsit, quo præcipientem  
 quinque alii cœptum iter profecuti  
 sunt usque Coimbricam, ibique ab Ur-  
 raca Regina Portugalliæ, Alphonſi II.  
 conjuge benignissime excepti. Nam i-  
 pla præcipue instante duobus abhinc an-  
 nis Fratres Minores Domum Coimbri-  
 cæ obtinuerant, ubi illa tempestate Re-  
 ges Portugalliæ Sedem fixerant. Exinde  
 quinque Missionarii, sæcularium vestibus  
 super habitum Ordinis inductis, terras  
 Maurorum intrant, ac Hispalim perve-  
 niunt, ubi in cujusdam Christiani ædibus  
 octiduo latuerunt. Tandem vehemen-  
 tissimo prædicandi ardore impulsæ, ad  
 portam majoris Templi (quod Mahome-  
 tani *Mosqueam* dicunt) se conferunt, in-  
 gressuri. Sed orto ingenti clamore, ver-  
 beribus cumulati, repelluntur. Nam  
 Musulmanni non aliis nisi Religionis  
 suæ hominibus aditum ad Tempia in-  
 dulgent.

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1219.  
 Vad. 1219.  
 n. 49.  
 vit. ap. Boll.  
 16. Jan. to.  
 2. p. 65.

Ll 3 Tum

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

Tum quinque Missionarii, ad limen Regii Palatii accedentes, dicunt, se nomine Jesu Christi, Regis Regum, Legatos adesse ad Regem. In conspectum admissi, Doctrinam Catholicam Principi explicant, hortantur, ut se convertat, & Baptismum recipiat. Cum vero quædam probrosa & erubescenda in Mahometem ejusque Legem adjicerent, offensus Rex omnibus capita amputari præcepit; sed filii sui precibus permotus, mitiore pœna eos turri includit, unde postea volentes Marochium, cum Domino Petro Fernandez Castilianensi, & quibusdam aliis Christianis dimisit. Illi Marochii habuerunt Infantem \* Portugallia, & ipsum Dominum Petrum nominatum, Regis Alphonsi fratrem, qui Fratres Minores, magna caritate hospitio exceptos, omnibus ad vitam sustentandam necessariis fovit. Ergo Missionarii summo fervore Saracenis, ubicunque obvios haberent, fidem prædicabant. Cumque quadam die Frater Bernardus conscenso, quod forte aderat, vehiculo ad populum diceret, & Rex per illum locum transiens subiraferetur, quod se præsentem non taceret, credidit, emotæ mentis hominem esse, quinque Fratres ex urbe ejici, atque in Regiones Christianorum sine mora remitti, jussit. Infans Dominus Petrus abeuntibus famulos

\* Principem

mulos de suis domesticis junxit, qui eos <sup>Sæcul. XIII.</sup> Septam, ubi navibus imponendi fuissent, <sup>A.C. 1219.</sup> deducerent.

At quinque Fratres in itinere Ducibus suis clam se subtrahunt, ac Marochium reversi, in foro publico Christum prædicant. Quod cum ad Regem delatum, eos in carcerem mitti jussit, ubi dies viginti sine cibo potuve perstiterunt. Rex vehementer miratus Christianis præcepit, hos Fratres ad Regiones Christianorum reducere. Sed illi iterum ex manibus suorum amicorum elapsi tertio Marochium redeunt. Tunc vero Christiani, furorem Regis metuentes, Infanti Domino Petro suggererunt; Fratres in ædibus suis detineret, & custodes adderet, ne foras prorumperent. Illi, <sup>Vad. 1220.</sup> nihilominus die quadam Veneris clam <sup>n. 38.</sup> egressi, Regi se sistunt transeunti, ut sepulchra Antecessorum suorum adiret. Quin etiam Berardus verba facere cœpit; at Rex, iram non tenens, mortis sententiam in refractarios pronuntiavit, & proxime ad se admoventi jussos, postquam ad ultimum promissis & tormentorum metu eorum animos frustra tentasset, singulos sua manu capite truncavit, die decima sexta Januarii anno millesimo ducentesimo vigesimo. Eorum corpora extra urbem raptata, ab Infidelibus frustatim concisa, & a Christianis



Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

collecta, Infans Dominus Petrus in Portugalliam misit, ubi in monasterium S. Crucis Coimbricam delata hodie extant. Multi ibidem edita fuere miracula, atque post annos ducentos & sexaginta solemniter hi Fratres Sanctorum Martyrum numero adscripti sunt Sixto IV. Papa, qui Fratribus Minoribus eorum Officium publice recitari, Bulla die septima Augusti anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo data, concessit. Eorundem Historiam sub idem tempus ex antiquis Commentariis Frater Joannes Tisserandus, vir ejus Ordinis Religiosus, ac Concionator Parisiis celeberrimus, scripsit.

§. XXVI.

*Frater Ægydius Assisinas.*

*vid. c. x. ap. Boll. 23. Apr. tom. II. p. 220.* Præter alios, a S. Francisco in Africam missos, Frater Ægydius, Discipulum ejus tertius, memoratur. Is Francisci popularis, videlicet Assisii natus, vir simplex & literarum rudis, cum aliquando sub noctem parentes suos narrare audivisset, Bernardum de Quintavalle & Petrum Catanensem, relictis omnibus, Francisci societatem elegerit, eorum exemplo excitatus, ubi illuxit, sanctum Virum quæsit, socium se obtulit, ac amantissimo amplexu susceptus est. Ægydius laborem manuum maxime facie-

faciebat, ideoque, ex quo ad Ordinem Sæcul. XIII.  
 Fratrum Minorum admissus est, conce- A. C. 1219.

ptum propositum nunquam aliunde  
 quam de labore manuum suarum alimen-  
 ta accipiendi constanter executus est.  
 A Sancto Francisco anno millesimo du-  
 centesimo duodecimo Romam missus,  
 quotidie, postquam Missæ interfuisset,  
 in silvam, quatuor ferme milliaria seu  
 aliquid ultra leucam ab Urbe distantem,  
 egrediebatur, unde fasce lignorum hu-  
 meris suis allato, eoque vendito, victum  
 sibi parabat. Quædam mulier, inito de  
 cadendis lignis pacto, quia virum esse  
 piissimum noverat, plus mercedis dedit,  
 quam promiserat. *Sed ipse nolo, inquit,  
 a vitio avaritiæ vinci, ac mediam pre-  
 tii partem restituit.* Nullus tam vilis  
 labor, quem obire dedignaretur, quid-  
 quid de lucro quotidiano supererat, in  
 pauperes spargebat, & semper certum  
 tempus ad orandum sibi constituebat.

Talis erat Frater Ægydius, quem  
 cum quibusdam aliis S. Franciscus ad  
 prædicandam Saracenis Africæ fidem mi- vit. c. 2. n. 8.  
 sit, quoniam alii Fratres, literis imbuti, Vad. ann.  
 laborem hujus profectiois detrectabant. 1219. n. 34.  
 Cum Ægydius sociique Tunetum appu-  
 lissent, vir quidam, qui apud Saracenos  
 sapientissimus habebatur, postquam satis  
 diu siluisset, ex suo secessu prodiit, pa-  
 lamque edixit: *Venerunt ad nos viri*

Ll 5 *Inst-*

Sæcul. XIII. *Infideles, ut legem nostram contemnant,*  
A.C. 1219. *Et populi ludibrio exponant. Facite,*

*quod suadeo, peregrinos hos gladio perimite.* Tunc vero magnus tumultus inter Musulmannos & Christianos exoritur, atque illi Christianæ Religionis homines, qui Tuneti habitabant, & apud quos Frater Ægydium cum sociis suis divertebat, vehementissime mortem pertimescentes, compulerunt Fratres navem conscendere, negata Saracenis loquendi vel eos adeundi facultate. Die sequente mane adsunt Saraceni, furiosè Fratres ad pœnam deposcunt, & obtempescunt, quod prohibentibus licet ceteris Christianis, ex nave prædicarent, seque ad amplectendum fidem Christi exhortarentur, ingenti Martyrii desiderio flagrantes. Tandem hi Fratres cum exequi non possent, quæ optabant, ad S. Franciscum revectorum sunt. Vir sanctus Fratrem Ægydium amore tenero prosequabatur, de eo ad alios Fratres dicere solitus; *Ecce Eques in paucis fortis! Ecce heros ex nostris maximus!*

\* de la table  
ronde.

§. XXVII.

*S. Franciscus coram Soldano  
Meledino.*

Inter hæc & ipse S. Franciscus in Terram sanctam profectus est. Jam tertio

tio enim iter aggrediebatur, iturus ad Sæcul. XIII.  
 Infideles, eorum salutis amore & Marty- A. C. 1219.  
 rii desiderio accensus. Primo hanc  
 viam tentavit, anno conversionis suæ Bonav. c. 9.  
 sexto, seu reparatæ salutis millesimo du-  
 centesimo duodecimo, cum navigio se  
 commisit; sed adversis ventis ad Sclavo-  
 niæ oram depulsus est, indeque Anco-  
 nam revectus. Anno sequente in Hispa- Vading.  
 niam commeavit, inde Marochium pe- 1212. n. 36.  
 titurus, & quæsiturus optatissimam Mar-  
 tyrii palmam. Tanto zelo in itinere  
 impellebatur, ut etsi viribus esset infe-  
 rior, strenue ambulantem, socius con-  
 sequi non posset. Verum morbo in Hi- Id. 1213. n.  
 spania impeditus, cum etiam intellige- 58. 1214. n. 4.  
 ret, se novello gregi pastorem esse ne-  
 cessarium, in Italiam rediit. Tandem Id. 1219. n. 54  
 iterum conversionis suæ anno decimo  
 tertio, salutis humanæ millesimo ducen-  
 tesimo decimo nono, Anconæ triremes,  
 varii generis auxilia Christianis Pelu-  
 sium obsidentibus devecturas, cum un-  
 decim Ordinis sui sociis conscendit. Pau- Bonav. c. 11.  
 cis, postquam advenisset, diebus elapsis,  
 cum Christiani ad conflegendum cum  
 Saracenis se compararent, Franciscus ad  
 socium suum, nomine Illuminatum: Do-  
 minus mihi indicavit, si modo dimicent,  
 fore, ut Christiani prælio vincantur. Si  
 istud arcanum aperio, stultus dicar,  
 si taceo, conscientia stimulos non feram.  
 Quid

Sæcul. XIII.  
A. C. 1219.

*Quid tibi factu opus videtur?* Respondit Socius: *Frater mi, iudicia hominum te non moventur, non hodie primum stultus crederis, libera conscientiam tuam, & Deum magis quam homines time.* Illico Franciscus, quod sibi revelatum fuerat, manifestat; sed omnibus insani- re videbatur. Pugnatur, vincuntur Christiani, sex millibus hominum caesis, captisve. Hæc illa pugna, quæ in decollationis S. Joannis vigesima nona Augusti commissa, fuisse creditur.

Ambo exercitus in conspectu erant, nec quisquam, nisi præsentissimo periculo se se exponere vellet, a castris Christianorum ad Infideles pergere poterat, præsertim postquam Soldanus Byzantium aureum daturum se singulis militibus promississet, qui occisi Christiani capti ad se detulissent. Nihilominus Franciscus postquam animum, fuis ad Deum precibus confirmasset, cum Fratre Illuminato ad castra Mahometanorum processit. Cum in via duas oves obvias

*Bonav. c. 9.*  
*Matt. 10. 16.*

sibi haberent, Franciscus ad socium: *Macte animo, Frater mi, tanquam oves ad lupos missi sumus.* Propius accedentibus occurrerunt Saraceni, quibus convicia & verbera ingerentibus, ac vincula sibi injicientibus, Franciscus dicebat: *Christianus sum, ad Dominum vestrum me deducite.* Erat is Soldanus Ægypti

*Jac. Vitr. Occid. c. 32.*

Ægypti Melic-Camel, quem Scriptores nostri Latini Meledinum dicunt, ac quæ-  
 renti, quis ambos Fratres ad se misisset, respondit Franciscus: *Deus altissimus misit me, ut tibi populoque tuo viam salutis ostenderem.* Soldanus animi magnitudinem in viro suspiciens, ei aliquot dies aures mansuetas dedit, invitans, ut apud se maneret. Cui Franciscus: *Si converti vis cum populo tuo, lubenter apud te manebo ex amore Jesu Christi. Si vero dubitas Crucifixi legem, relicta Mahometis superstitione, amplecti, magnum rogam accendi impera, in quem ego cum Popis tuis me conjiciam, tumque constabit, quam Religionem profiteri te oporteat.* Popas seu Sacerdotes Franciscus illos appellabat, quos Musulmani Imanes dicunt, qui preces publicas populo præibant, & in Fanis verba pro concione faciebant. Respondit Soldanus: *Haud credo, ullum Sacerdotum nostrorum Religionis suæ amore in ignem sponte ruiturum esse, nam, Francisco mentionem de rogo faciente, Soldanus, aliquem ex Imanis senioribus subito se proripientem notaverat.* Iterumque Vir sanctus: *Si vis mihi tuo & populi tui nomine promittere, vos Religionem Christianam suscepturos esse, si sanus & incolumis ex igne egressus fuero, solus irrumpan.* *Si consumitus fuero, fors tristis*

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1219.

Bibl. Orient.  
 p. 491.

Sæcul. XIII. *tristis peccatis meis tribuatur. Si mi-*  
A.C. 1219. *tem Deus me salvum præstiterit, Jesum*  
*Christum verum Deum & omnium homi-*  
*num Redemptorem agnoscetis. Ad hæc*  
 Soldanus timere se dixit, si hæc pacha  
 reciperet, ne suorum animos ad sedicio-  
 nem commoveret. Sed Francisco dona  
 Regia obtulit, quæ ille velut lutum ter-  
 ræ contempsit. Crevit vero exinde san-  
 cti Viri apud Soldanum reverentia. Tan-  
 dem metuens, ne suorum non nulli  
 S. Francisci sermonibus victi ad Christia-  
 norum castra transirent, valedixit hic  
 verbis: *Ora pro me, ut mihi Deus Reli-*  
*gionem sibi magis gratam suggerat.*

## §. XXVIII.

*Testimonium Jacobi Vitriaci Fratri-*  
*bus Minoribus favens.*

c. 32. **H**anc de S. Francisco coram Meledino  
 narrationem partim ex S. Bonaventura  
 in vita S. Francisci, partim ex Jaco-  
 bo Vitriaco tunc temporis Episcopo A-  
 criensi, & obsidioni Pelusii urbis præ-  
 sente, accepi. Is Elogium Fratrum Mi-  
 norum in Historia sua rerum Occiden-  
 talium concinnat in hunc ferme modum:  
*Fratres Minores paupertatem & hu-*  
*militatem primitivæ Ecclesiæ reducere*  
*omnibus viribus conantur, cum non so-*  
*lum præcepta, sed etiam consilia Evan-*  
*gelica*

gelica implent. *Papa, confirmata eorum* Sæcul. XIII.  
*Regula, ipsis auctoritatem ubique prædi-* A. C. 1219.  
*candi, si accedat Prælatorum consensus,*

*concessit. Bini mittuntur, nec saccum,*  
*nec panem, nec pecuniam, nec calceos ge-*  
*stitant, nihil enim eis licet possidere. Non*  
*habent Monasteria, nec Ecclesias, nec do-*  
*mos, nec agros, nec pecora. Non utun-*  
*tur amictu pelliceo, nec lineo, sed tuni-*  
*cis laneis, cui adbæret cucullus, sine pal-*  
*liolo vel toga, aliove vestitu. Cum ad*  
*prandium invitantur, comedunt, quod*  
*ponitur. Cum eis datur elemosyna,*  
*nihil in alterum diem servant. Semel*  
*hisve in anno ad Capitulum suum Gene-*  
*rale celebrandum congregantur, quo so-*  
*luto, Præpositus Fratres binos vel plures*  
*in diversas provincias remittit.*

*Prædicatione, & multo magis suo ex-*  
*emplo mundi contemptum docent non modo*  
*de plebe homines, sed etiam viros No-*  
*biles, qui relictis urbibus, fundis, cete-*  
*risque bonis, habitum Fratrum Minorum,*  
*scilicet vilem tunicam & pro cingulo*  
*funem, arripiunt. Brevi temporis spa-*  
*tio in immensum auctus est eorum nu-*  
*merus; quippe nulla jam est in Orbe*  
*Christiano provincia, in quam Fratres*  
*non pervenerint. Omnes ad se accedentes*  
*suscipiunt, iis solum exclusis, qui ma-*  
*trimonio ligati sunt, aut alteri cuiquam*  
*Ordini adscripti. Eo autem facilius Ty-*  
*rones*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

rones suos admittunt, quod omnem curam illarum rerum, quæ ad sustentandum corpus pertinent, soli divinæ Providentiæ committant. Hinc se felices illi aestimant, a quibus hospitium vel eleemosynam Fratres accipere dignantur.

Saraceni quoque, Fratrum humilitatem & sanctitatem admirantes, lubenti animo Evangelium prædicaturos in domos suas recipiunt. Vidimus Auctorem hujus Ordinis, ac Præpositum Generalem, Virum simplicem & literarum vadem, Deo & hominibus carum, nominatim Fratrem Franciscum, usque adeo Spiritu inflammatum, ut, postquam ad castra Christianorum, Perusium obsidione cingentium, pervenisset, ad exercitum Soldani quoque se conferre non exhorruerit. Tam hic Scriptor reliqua, quæ paulo antea retuli, subjungit, & sic prosequitur: Omnes Saraceni Fratres Minores de Jesu Christo ejusque Doctrina differenter benevolo animo audiunt, usque dum Mahometem insectantur eique mendacia & Infidelitatem exprobrant; tunc enim eos verberibus afficiunt, ex urbibus suis expellunt, ac etiam occidevent, nisi Deus famulos suos custodiret. Talis est Fratrum Minorum Ordo, ad cujus perfectionem infirmi eniti non possunt, ne, tempestatibus hujus mundi expositi, fluctibus bauriantur. Hucusque Jacobus Vitriac-

cus, defancto Sancto Francisco haud plus quam annis octodecim superstes. Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

§. XXIX.

*Cruce signati Pelusium in potestatem redigunt.*

Necdum Christiani post tantum temporis in obsidione difficili consumti, Pelusio potiundi spem abjecerant, & Soldanus *Melic - Camel* eos saepe aggressus expertusque, quod sibi ad eos depellendos satis virium non esset, pacis conditiones obtulit. Promisit redditurum se veram Crucem, urbem Hierosolymam cum omnibus circumjacentibus agris, omnes Christianos captivos, & pecuniam necessariam ad restaurandos Hierosolymæ urbis muros, quos frater suus *Coradinus*, seu *Melic - el - Moaddam*, Damasci Soldanus, eodem anno millesimo ducentesimo decimo nono, destruxerat. Præterea restituere volebat arcem *Turonensem*, haud procul Tyro urbe positam & complura alia munimenta, sed eo pacto, ut *Caracam* sibi & *Montem regium* servaret. Multis Cruce signatorum rationi consentanea & æquitati videbantur, quæ petebat, sed neutquam probabantur illis, quibus Infidelium fallacia magis perspecta erat, scilicet *Templariis*, *Hospitalariis*, *Equitibus Teutonicis*, *Legato*

*Epist. Jac. de V. ap. Bongars. p. 1146.*

*Jac. Vitr. hist. oric. lib. 3. p. 1137.*

*Hist. Ecclesiast. Tom. XIX.* Mm gato

XVIII.  
in cu-  
andam  
viden-  
illi a-  
leemo-  
milita-  
lubenti  
in do-  
Eloven  
revera-  
um ru-  
nomin-  
spiritu  
a Chri-  
angen-  
Soldani  
Tam  
ate re-  
r: O-  
le. Je-  
rentes  
n Ma-  
cia &  
im eos  
is ex-  
Deu-  
7 Fro-  
fectio-  
, tem-  
Atibus  
Ticria-  
cus,

Sæcul. XIII.  
A.C 1219.

Sup. Lib.  
LXXVI.  
§. 30. -

gato Pelagio, Cardinali Episcopo Albanensi, Patriarchæ Hierosolymitano, Episcopis, cunctisque Clericis, cum dicerent; Saracenos, oblata pacis specie, nihil aliud quærere, quam ut validus Christianorum exercitus spargeretur in diversa, quod si obtinuissent, postea & urbem Hierosolymam & quæcunque se simulassent restituere, facili negotio iterum occupaturos esse. Ceterum credebant Christiani, veram Crucem in potestate Infidelium jam non esse, quam, expugnata a Christianis Acra, Saladinus captivos redempturus, magna diligentia, sed frustra, quæri jussisset. At, quod Soldanus solerter conjecerat, pacis mentio discordiam in Christianorum, Pelusium oppugnantium, animos invexit. Quare Sedis Apostolicæ Legatus urbem obsessam, fame & contagione ad ultimam redactam, subito impetu occupare statuit, atque amicorum fidissimis clam ad consilium advocatis, noctis sequentis beneficio usus, militum promptissimis incurtere jussis, urbem sine pugna & pæne sine tumultu cepit, die quinta Novembris, anno millesimo ducentesimo decimo nono, postquam obsidionis ingens labor mensis novem tenuisset.

Urbe purgata, nam cadaverum fetore pæne tota infecta erat, Legatus Pelagius inter publicas preces procedens, cum

cum Patriarcha, & toto Clero Acriensi, Sæcul. XIII.  
 in Festo Purificationis secunda die Fe- A.C. 1219.  
 bruarii, anno millesimo ducentesimo vi-  
 gesimo, ingressus, Officium divinum ce-  
 lebravit in quadam Ecclesia, jussu suo  
 præparata, ubi Cathedram Archiepisco-  
 palem erexit. In urbe complures alias  
 Ecclesias dedicavit, ritu Mahometanæ  
 superstitionis ejecto. Magnus captivo-  
 rum numerus venditus; & Jacobus Vi-  
 triacus magno labore & multis expensis  
 infantes, quos baptizaret, sibi servavit,  
 quorum plures quam quingenti statim  
 mortui sunt. Alios apud se retinuit, al-  
 iosque amicis suis tradidit, ut educaren-  
 tur, ac in sacris literis & piis moribus  
 instituerentur. Tum Legatus, accedente  
 sacre Militiæ consensu, urbis & adjacen-  
 tis Regionis principatum Regi Hieroso-  
 lymæ contulit, quo Regni ejus fines pro-  
 ferret.

Hæc de Pelusio expugnato narratio  
 ex Jacobi Vitriaci Epistola, quam ad a-  
 micos suos in Lotharingiam dedit, excer-  
 pta est, in cujus fine subjungit: *Rane-  
 rius S. Michaelis Prior nomen dedit Fra-  
 trum Minorum Religioni, quæ in to-  
 to orbe propagatur, quia formam pri-  
 mitivæ Ecclesiæ & vitam Apostolorum  
 perfecte exhibet. Magister eorum Fra-  
 ter Franciscus, virorum amantiſſimus,  
 hominum omnium affectum sibi conciliat.*

3.ep.417.

Mm 2

Cete-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1219.

4. ep. 631.  
Rain. n. 20, 21

Regest. ap.  
Rain.

Ceterum Sedes Antiochena jam biennio vacabat, post obitum Rudolphi Patriarchæ, qui anno millesimo ducentesimo decimo septimo decesserat, postquam annos triginta tres huic Ecclesiæ præfuisset. Et hanc quidem Dignitatem destinauerat Papa Petro Capuano, Cardinalis ejusdem nominis, Tituli S. Marcelli, nepoti, quem, mutata postea mente, Cardinalem creatum, suo lateri adherere voluit. Quare, precibus trium Canonorum Ecclesiæ Antiochenæ motus, Patriarcham eis dedit Ranerium, Ecclesiæ Romanæ Cancellarium, eumque suis manibus Viterbii die decima nona Novembris anno millesimo ducentesimo decimo nono ordinavit. Natus is erat in Comitatu Tudertino, atque ex Prioratu S. Frediani Lucæ ad Vice-Cancellarii officium, quod digne per triennium obiit, evocatus.

§. XXX.

*S. Dominicus Moniales includit.*

4. ep. 647.  
Rain. n. 54.

Sancto Dominico inter hæc Romanus reverso, Honorius Papa sub idem tempus Epistolam encyclicam ad omnes Prælatos dedit, ipsi & Ordinis ejus Fratres faventem, in qua hortatur & præcipit; hos Fratres ad Prædicationis Ministerium, cui consecrati essent, admitterent, eisque vitæ necessaria largiter suppeditaret.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

ria trans Tiberim se contulisset, Abbatissam omnesque ejus puellas, una tantum excepta, eo permovit, ut Papæ se obtemperaturas esse, & ex domo ista excessuras promitterent, si modo eis liceret secum ferre Beatæ Virginis imaginem, non solum ab his Monialibus, sed ab omnibus Romanæ Urbis civibus magno honore cultam, quæ a S. Luca Evangelista picta fuisse credebatur. Recepit Dominicus conditionem, & adiecit, in posterum Religiosas feminas, ad invitandos propinquos suos vel alios, non amplius ex monasterio exituras.

Ubi ad earum propinquos amicosque delatum, quod ipsæ consensissent, in furorē acti advolant, & cum Religiosis mulieribus acriter jurgantur, quod a viro ignoto eo adduci se passæ essent, ut locum & Ecclesiam celeberrimam deferere statuissent. In Virum sanctum autem invecti, Sycophantam & veteratorem appellabant. Jamque puellis tantum timoris incusserant, ut complures promissi sui poenitentia subiret; sed eas Dominici solertia ad saniores mentem reduxit, cumque omnes iterum, in potestate Summi Pontificis se futuras esse, affirmassent, quosdam Fratres conversos, viros prudentes & virtutis amantes delegit, qui earum Monasterium custodirent, & omnia necessaria sororibus præstarent.

starent. Tum, cunctis illius domus claustris ereptis, eas nec cuiquam hominum confabulari, nec ad aedes parentum suorum sine testibus icitare concessit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

§. XXXI.

*S. Dominicus duos mortuos ad vitam suscitatur.*

Tempore quo Domus S. Sixti reparabatur, ut Monialium usui apta fieret, Dominico quadam die ad S. Marcum concionante, Matrona Romana, cui nomen *Gutta-Done*, sancto Viro maxime devota, ut ad populum dicentem auscultare posset, infantem ægrotum relinquit. Domum deinde reversa, mortuum invenit, & presso dolore, ancillis se sequi iussit, filium exanimem ad S. Sixtum, ubi Dominicus adhucdum commorabatur, defert. Aperta erat Domus, videlicet euntibus & redeuntibus operariis patens, & afflicta mater Virum sanctum habuit ante portam Capituli, quasi alius adventum præstolantem. Tum, infante ad ejus pedes deposito, ipsa in terram prostrata inter calentes lacrymas rogat, ut sibi filium redderet. Dominicus tenerrima commiseratione tactus, paulisper secedit, in terram se demittit, & brevi oratione peracta, accedit, Crucis signo defunctum munit, ejusque manu

*ibid. c. 3.*

Mm 4

nu



Sæcul. XIII. nu prehensa sanum & incolumem pu-  
 A.C. 1219. rum matri tradit, addito præcepto, ne  
 ulli mortalium arcanum aperiret.

At mulier, tanti gaudii non potens, miraculum haud siluit; quod ubi ad aures Papæ pervenit, exultans, quod Deus sua ætate tam prodigiose Graciam suam manifestasset, constituit præcipere, ut res hæc toti populo ex cathedra Ecclesiæ promulgaretur. Sed obstitit Dominicus, prolixè affirmans, si factum istud vulgaretur, se mare trajecturum, & nunquam amplius ad Italiæ litora rediturum. Ergo Pontifex mandata retractavit; exinde autem benevolentia, qua Dominicum prosequabatur, & Cardinalium in eum veneratio plurimum aucta est. Quare eorum exemplum secuti ceteri omnes, summi infimique, Dominicum ut Angelum de cælo intuebantur, quocumque iret comitabantur, beatos se credebant, si ejus manum contingere liceret, & multo magis, si aliquid illarum rerum, quæ S. Viro usui fuissent, sibi servare. Hinc etiam est, quod ejus cultores tot particulas de ejus cucullo & toga pio furto abstulerint, ut ea vix infra genua dependeret. Ad Fratres vero id facientibus obsistentes dicere solebat: *Sinite eos devotioni suæ satisfacere*, lætus quod vestem gereret nimis curtam, quæ aliis risum moveret, & parceret sui

contemptum. Tunc temporis viri quin-  
 que, ex primis Dominici Sociis illustri-  
 simi, Tancredus, Otto, Gregorius &  
 Henricus cum eo versabantur. Cete-  
 rum, dum ædes S. Sixti perficiuntur, i-  
 pse iterum quemdam lapidarium, in cel-  
 la subterranea fornicis ruina oppressum,  
 ad vitam revocavit.

§. XXXII.

*Resurrectio Napoleonis.*

Quadam die S. Dominico negotio  
 Translationis Monialium cum tri-  
 bus Cardinalibus, sibi a Papa junctis, va-  
 cante, vir, flebili habitu, capillos avel-  
 lens & horrendum vociferans, Capitu-  
 lum, in quo illi sedebant, Abbatissa &  
 puellis Religiosis præsentibus, intrat.  
 Interrogantibus, quid vellet, *Heu!* in-  
 quit, *Cardinalis Stephani nepos, de equo*  
*lapsus, modo extinctus est.* Erat ei  
 nomen Napoleon, quem juvenili teme-  
 ritate subdentem calcaria equus excus-  
 serat. Audito tristi nuncio, Cardina-  
 lis ejus propinquus, linquente animo, cor-  
 ruit, capite in S. Dominicum inclina-  
 to. Illico asportatur a suis, cui Vir san-  
 ctus Aquam benedictam asperxit. Tunc  
 vero Frater Tancredus, vir caritate &  
 zelo eximius, postea Romæ Prior, ad  
 Dominicum conversus, *Pater mi,* in-  
 quit, *cur modo caritas tua in proxi-*

*Theod. II.*  
*c. 6.*  
*Jord. MS.*  
*c. 55.*

M m 5 *mm,*

Sæcul. XIII. *num, cur fides in Deum cessat? cur*  
A.C. 1219. *pro salute hujus hominis non oras? Do-*  
 minicus defuncti corpus in quoddam  
 cubiculum clam deferri jussit, eumque  
 vi precum suarum vitæ redditum, sal-  
 vum & valentem produxit in publicum.  
 Ceterum Napoleon a mane usque ad  
 horam nonam Canonicam in vivis non  
 fuerat. Idque prodigium, quod die  
 decima quarta Februarii evenerat, Bea-  
 tus Jordanes ex ore Tancredi accepit  
 se fatetur (\*).

Post.

(\*) Hic iterum Natalis Alexander: *Ordi-*  
*nem FF. Prædicatorum egregie commendat Ur-*  
*spergensis Abbas, qui eo tempore florebat, quo*  
*S. Dominicus ipsum instituit; Prædicatorum in*  
*locum Humiliatorum successisse scribit, qui nulla*  
*habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mit-*  
*tentes falcem in messem alienam populis prædi-*  
*cabant, & vitam eorum plerumque regere sa-*  
*tagebant, & Confessiones audire & Ministeris*  
*Sacerdotum derogare. Quæ volens corrigere*  
*Papa Ordinem Prædicatorum instituit & con-*  
*firmavit. . . . Illi studio & Lectioni S. Scri-*  
*pturæ jugiter insistentes, tantum in scribendo*  
*libros opus faciebant, & eos diligentissime a Ma-*  
*gistris suis audiebant, ut cum sagittis & arcu*  
*& omni armatura fortium possent ingredi &*  
*stare pro defensione S. Matris Ecclesiæ, & ex*  
*adverso ascendere & ponere se murum pro De-*  
*o*

Postquam Fratres Prædicatores ex <sup>Sæcul. XIII.</sup> Ecclesia S. Sixti ad domum S. Sabinæ, <sup>A. C. 1219.</sup> quam hodieque tenent, transiissent, S. Dominicus diem constituit, qua Moniales ad S. Sixtum migrarent, nempe Dominica prima Quadragesimæ die decima sexta Februarii, anno millesimo ducentesimo decimo nono, id est, vigesimo ante Paschâ. Illam Ecclesiam intrantes, omnes de manu S. Dominici habitum novi Instituti acceperunt, edito obedientiæ promisso. Prima, cui Vir sanctus vestem Regulæ dedit, fuit septendecim annorum puella, nomine Cæcilia, quæ illo adhuc tempore, cum Theodoricus\* post annos circiter septuaginta vitam S. Dominici scripsit, luce fruebatur. Universim autem Virgines illæ quadraginta quatuor numerabantur. Repugna-

3. c. 7.

d' Appolde

no Israel, dum Fidem roborant, virtutes in-  
fruant, Statuta Ecclesiæ docent, & collaudant,  
vicia hominum & pravitates redarguunt & ca-  
stigant. Nihilominus Sedi Apostolicæ in omni-  
bus obediunt, a qua auctoritatem præcipuam tra-  
hant.

In eo falsus est Urspergensis Abbas, quod  
in locum Humiliatorum Prædicatores successisse  
scribit, cum Humiliatorum Ordo ab Innocen-  
tio III. anno millesimo ducentesimo confirma-  
tus, ad usque Pii V. tempora steterit, a quo tan-  
dem extinctus est. Huc usque Natalis &c.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1219.

pugnabant Romani, impatientissime ferentes, quod ex vetere eorum Ecclesia trans Tiberim, Imago, S. Lucæ penicillo adscripta, auferretur. Quo non obstante S. Dominicus nocte sequente eam humeris suis impositam, nudis pedibus incedens, duobus Cardinalibus Nicolao Episcopo Tusculano & Stephano Fosse novæ, plurimisque aliis comitantibus, & innumeris cereis ardentibus, deportavit. Ita imago hæc solemnè pompa ad S. Sixtum, ubi adhucdum visitur, translata est. Elapso exinde octiduo, nempe secunda Dominica Quadragesimæ, S. Dominici, in illa Ecclesia concionantis sermonem turbavit quædam mulier, ex qua postquam Dæmones septem eiecisset, sanata Deo se se, accepto nomine sororis *Amatæ*, consecravit.

§. 69.

### §. XXXIII.

#### *S. Hyacinthi Exordia.*

Long. lib. 6.  
an. 1218.

vit. S. Hyac.  
per le Alb.  
ap. Sur.  
16. Aug.

Præter alios, testis resurrectionis Napoleonis existebat Ivo, Poloniae Cantuariensis Episcopus Cracoviensis Ecclesiæ, vacantis discessu Vincentii, qui, relicta hac Sede, cujusdam Monasterii Ordinis Cisterciensis quietem amplexus fuerat. Ivo Romam profectus, ad obtinendam electionis confirmationem, Hyacinthum nepotem suum illic deduxerat; tumque miraculo, quod viderat,

derat, commotus, amicitiam Dominici Sæcul. XIII.  
 impensius colere cœpit, & vehementer A.C. 1219.  
 rogavit, ut aliquot Discipulos suos in  
 Poloniam mitteret, qui suum Institutum  
 inveherent. Respondit Vir sanctus, se  
 labentissimo animo obsecurum esse,  
 si haberet, quos mitteret. Simulque  
 hortabatur, ut non nullos juvenes sibi  
 traderet, quos apud se commorantes  
 informaret, ac deinde in patriam remea-  
 re sineret. Episcopus duos ei nepotes  
 suos dedit, ambos Canonicos, Hyacin-  
 thum Cracoviæ, & Ceslaum Sandomi-  
 riæ, duosque alios nobili stirpe natos,  
 Henricum ex Moravia & Hermannum B200. an.  
 Germanum, quos Dominicus, Ordinis 1219. n. 8.  
 veste indutos, uno anno in sua Discipli-  
 na & virtutibus Christianis instituendos  
 apud se retinuit.

§. XXXIV.

*Primum Fratrum Prædicatorum  
 Capitulum.*

Eodem anno millesimo ducentesimo Theod. IV.  
 vigesimo, cum S. Dominicus, ad con- c. 1. Vinc.  
 servandum Ordinem suum, singulis an- Bell. For.  
 nis Capitulum Generale convocare sta- M.S. c. 49.  
 tuisset, primum ad Festum Pentecostes,  
 quod in diem decimam septimam Maji  
 incidebat, Bononiæ celebravit. Manda-  
 ta dederat; quatuor Fratres Ordinis ex  
 urbe

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

Sup. n. 19.

Sup. n. 5.

urbe Parisiensi venirent, missusque est cum tribus aliis Frater Jordanes, tametsi ut memoravimus, non plus tribus mensibus in Ordine versaretur. Sed gratia plenus videbatur, atque ad omnia eximia virtutis opera pronissimus. In hoc Capitulo decretum, ut Fratres Prædicatores paupertatem perfectam sectarentur, eamque virtutem Ordinis sui fundamentum ponerent, abdicantes in omne tempus, possessionem agrorum & censuum, etiam illorum, quos Tolosæ habebant, & Papa data prima sua Bulla confirmaverat. Tum præsentibus omnibus S. Dominicus munus Præpositi Generalis, tanquam indignus & minime idoneus dimittere volebat. Sed cum a Fratribus ne quidem audiretur, ipse consentientibus constituit, ut in posterum Definitores crearentur, quibus toto Capituli tempore in omnes ac etiam ipsum Præpositum Generalem jurisdictio & potestas esset, salva Præpositi auctoritate, postquam solutum esset Capitulum. Præterea præceptum, ut quolibet anno Capitulum Generale altero Bononiæ, altero Parisiis celebraretur, ita tamen ut Capitulum anni proximi millesimi ducentissimi vigesimi primi Bononiæ ageretur. Omnibus Fratribus primi Capituli deinde in diversa sparsis, Frater Jordanes, Parisios reversus, Discipulis Ordinis

dinis sui Evangelium S. Lucæ, magno Sæcul. XIII.  
sane fructu, explicavit. A.C. 1220.

Huc usque S. Dominicus Ordinem suum auctoritate Summi Pontificis re-  
xerat; at Patribus Capituli Bononiensis  
potius visum, ut deinceps titulo Magi-  
stri Generalis omnibus præesset. Ille,  
accepta Dignitate, nulla in re vitæ prio-  
ris rationem mutavit, sed solummodo  
majore austeritate, abstinentia, vigiliis,  
& frequentiore corporis maceratione  
a ceteris internoscebatur, ad omnia In-  
stitutum sui officia primus. In corripien-  
dis Fratribus discretionem simul & se-  
veritatem adhibebat. Ubi aliquem Fra-  
trum culpam admisisse cognoscebat, in  
flagranti dissimulabat, & deinde oppor-  
tunum tempus nactus, mansuete reum  
reprehendebat, ad confitendum errorem  
compellebat, & demum materna tene-  
ritudine consolabatur. Vix aliqua ela-  
bebatur dies, qua Fratres ad Concionem  
vel Collationem non vocaret, ubi tam  
blanda vi movebat animos, ut nemo la-  
crymas teneret.

Cum Bononiensis Civitatis Magistra-  
tus, editis quibusdam Statutis, Studio-  
rum & Magistrorum in eximia hac  
Schola privilegia accidissent, Honorius  
Papa rescissis illis Statutis, factum Bo-  
nonienses exprobravit in hunc mo-  
dum: *Artium liberalium studia, ut de*  
*pluri-*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

plurimis aliis emolumentis taceam, urbem vestram in toto terrarum orbe celeberrimam effecerunt. In ea non tam corpora quam animæ alimentis spiritibus pascuntur, qui doctrinam apud vos hauserunt, in patriam reversi, aliorum mortalium regimini admoventur.

A. ep. 728. 729 Quamobrem absit, ut Studiosos vexetis, sed eos omni bonorum genere prosequimini. Libere enim urbem vestram, ubi scientiis vacent, elegerunt, & cum conditio vestra antea fuerit mediocri, nunc ceteras totius provincie civitates opulentia superatis.

§. XXXV.

*Frater Elias deponitur.*

Vading.  
1220. n. 29.

Sanctus Franciscus, cum ex Ægypto rediens Venetias pervenisset, Capitulum Generale ad Festum S. Michaelis hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo Assisii celebrandum convocavit. Ubi illuc delatus est, querelæ, quæ ad ejus aures contra Fratrem Eliam in Ægyptum usque pervaserant, geminatur; cum enim Vicarium suum Generalem constituerat. Tum etiam accusationis argumenta S. Franciscus suis oculis percepit. Quippe Elias in conspectum ejus se dare ausus est, indutus veste ceteris nitidior, & meliore panno, cucullo longiore, quali illa ætate

saculares utebantur, manicis laxis, in-  
 cessu ad modestiam Religiosam neuti-  
 quam composito. Franciscus, nihil o-  
 mnino præfatus, Eliam, audientibus o-  
 mnibus circumstantibus, rogavit, ut ve-  
 stem suam sibi tantisper commodaret.  
 Ille rem tantillam Præposito suo dene-  
 gare nolens, in angulum secessit, & de-  
 tractum sibi amictum retulit. Francis-  
 cus eundem super tunicam suam indu-  
 cit, circa cingulum decore complicat,  
 cucullam capiti non sine aliqua ferociæ  
 specie imponit, ac erecta cervice, porre-  
 ctissimo pectore, & clamosa voce præ-  
 sentes salutans, *Deus vos custodiat*, ait,  
*boni homines*. Tum postquam ter quater-  
 ve in medio cœtus elato supercilio am-  
 bulasset, vestem Eliæ indignans procul  
 abjicit, atque ad eum, contemnti si-  
 milis, conversus, *isto habitu*, inquit, *Re-*  
*ligionis nostræ Fratres spurii incedent*.  
 Mox mutato vultu, gestu, ut solebat,  
 modesto, inclinato capite gradiens, ut  
 erat lacero & vili vestitu, breviter omnes  
 ad pietatem exhortatus est, subjungens:  
*Hac species sit illorum, qui vere Fratres*  
*Minores dicuntur*. Tandem omnia ab  
 Elia noviter in Ordinem invecta abro-  
 gavit, excepto mandato, ne quis carnes  
 comederet, quod aliquamdiu tolerandum  
 esse existimavit, ne gulæ favere vide-  
 retur.

*Hist. Eccles. Tom. XIX.*

Nn Ergo

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

Ergo Capitulo Generali ad Festum S. Michaelis, ut indixerat, congregato, & munere Vicarii Fratri Eliæ adempto, ei Petrum Catanensem ex discipulis suis secundum suffecit. In cuius etiam manus Fratrum Regimen dimisit; se ipsum enim tum ob eorum multitudinem, tum ob fractas corporis vires tanto oneri ferendo imparem credebat. Quare Fratribus ad Capitulum convocatis, exinde, inquit, *mortuus vobis sum. En Petrum Catanensem, Magistrum vestrum! cui ego & vos obediemus.* Mox ad Petri pedes se demittens, obedientiam & obsequium tanquam Ministro Ordinis Generali promisit. At Fratres eo adduci non potuerunt, ut consentirent, nec, quoad Franciscus in vivis fuit, alium Ministrum, sed solum ipsius Vicarium appellari passi sunt.

Petrus Catanensis intelligens se necessitati tot fratrum, quot ad Portiunculam confluebant, succurrere non posse, ex S. Francisco quæsit, an licentiam concedat, aliquid de Bonis quorundam Novitiorum, suscipi petentium, servandi, unde alii nihil habentes alerentur. Vir sanctus respondit: *Deus mentes nostras ab hoc pietatis genere avertat, quod nos amore hominum in Regulam nostram impios efficit.* Et Petro dicenti: *Quid ergo faciam? Altare Beatæ Virginis,* inquit,

Sæcul. XIII.

A. C. 1220.

inquit, omnibus suis ornamentis spolia. Mittet nobis Deus, unde illa Matri suæ restituamus, quæ proximi Caritati impenderimus. Firmiter crede, magis gratum Virgini futurum, si cultum Aræ suæ detrabi videat, quam si Filii ejus Evangelio advessemur. Tum arrepta occasione Fratribus sacræ paupertatis amorem ferventissime commendavit. Aderat aliquis ex Ordinis Ministris, qui complures libros collectos sibi retinere cupiebat, sed accedente S. Viri licentia. Interrogavit ergo, quantum Fratri Minori habere liceret. Cui Franciscus: Ut ego arbitror, Fratri Minori nihil habere licet, præter tunicam, funem, & femoralia. Si necessitas urgeat, etiam calceis utatur. Et Ministro reponenti: Quid ergo decernam de codicibus, quos habeo, & quorum pretium si aestimetur, quadraginta argenti libris comparari vix possent (hæc summa ferme quingentos Francos nostræ pecuniæ æquaret) iterum Franciscus: Frater mi, nolo propter libros tuos corrumpere Librum Evangelii, cujus doctrinam sequentes promissimus, nihil possidere in hoc mundo. Fac de libris tuis, quod volueris, non concedam, ut licentia mea tibi scandali occasio sit. Ceterum sæpe dicere audiebatur, hominem re ipsa haud plura scire,

N n 2

re,

Sæcul. XIII. re, quam operetur, & arborem ex fru-  
 A.C. 1220. ctibus cognoscendam esse.

## §. XXXVI.

*S. Francisci Doctrina.*

Sanctus Franciscus interrogatus, an ipse probaretur, quod viri literati, in Ordinem recepti, Sacræ Scripturæ operam darent, probatur, respondit, si modo vacare orationi non omittant, & imitentur Jesum Christum, quem sæpius orasse quam legisse scimus. Si non idcirco S. Scripturam volvant, ut discant, quid dicere debeant, sed ut id, quod didicerunt, & ipsi operentur, & deinde etiam ab aliis perfici curent. Dicebat præterea: Nolo, ut Fratres mei in scientiis & libris exercitentur, sed ut fundamento sanctæ humilitatis, simplicitatis, orationis, & Magistræ nostræ paupertatis nitantur. Aliqui Fratres, alios docendi munus obtinentes, has virtutes negligent; indeque fiet, ut frustra instructi S. Scripturæ scientia, per quam lumine, devotione, & Dei amore impleri sua opinione debuissent, intus frigidi & vacui maneant. Ita ad primæ vocationis Institutum revocari non poterunt, postquam tempus vivendi secundum Regulam vano & falso studio amiserint. Rursus dicere solebat: Quidam Fratres omne suum tempus ad acqui-

Collat. 15.  
opus. to. 3.

Collat. 16.

vendam scientiam impendunt, atque bu-  
 militatis obliviscuntur & ab oratione  
 cessant. Postquam prædicarunt, si sciant,  
 Auditorum suorum non nullos pie fuisse  
 commotos, successu superbiunt & in-  
 stantur, ignari, Deum hanc gratiam præ-  
 cibus & lacrymis aliorum Fratrum  
 pauperum, humilium, & simplicium, tam-  
 etsi id ipsi non noverint, concessisse.

Quadam die S. Franciscus cum Fra-  
 tre Leone commeans, cum de vero &  
 sincero virorum Religiosorum gaudio  
 confabularentur, & quid sentiret Leo  
 exposuisset, dixit: *Etiamsi Fratres Mi-*  
*nores exemplum virtutis & probitatis*  
*per totum terrarum orbem spargerent,*  
*neutiquam tamen in eo perfectum gau-*  
*dium situm est. Quamvis Dæmones e-*  
*jicerent, surdos, cæcosque sanarent, &*  
*mortuos excitarent. Quamvis eis datum*  
*esset donum omnium linguarum & scien-*  
*tiarum, quamvis gratiam Prophetiæ*  
*accepissent, & uniuscujusque conscientia*  
*arcana cognoscerent. Quamvis tanta*  
*valerent eloquentiæ vi, ut omnes Insti-*  
*deles converterent, necdum tamen illud,*  
*ex quo perfectum gaudium proficiscitur,*  
*asscuti dici possent. Sed ponamus, nos*  
*ambos a via ad Portiunculam redire, vi-*  
*gentes frigore, pluviis madefactos, lu-*  
*tosos, ita famelicos, ut prope emoriamur,*  
*& fores pulsare, ostiarium autem ira*

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1220.

Opusc. to. I.  
 p. 93.  
 Vading. an.  
 1221. n. 31.

Nn 3 asperum

Sæcul. XIII. *asperum venire & quærere: Qui estis vos? Nos respondere: Duo ex Fratribus vestris sumus, & ipsum reponere: Deperdita face hominum estis, qui, per orbem vagantes, eleemosynas pauperibus destinatas furamini, tumque clauso ostio nos nivibus, vento, imbribus exposita relinquere. Si repulsam imperturbato animo perferimus, & in querelas non effundimur, si in sensu humilitatis & caritatis cogitamus, ostiarium hunc interna nostra penitus cognoscere, eumque Deo sic iubente talia ad nos dixisse, scias, in ista patientia veram viri Religiosi lætitiã esse constitutam.*

*Ponamus amplius; nos ostium monasterii iterato contingere, eundemque ostiarium contra importunos erumpere, & colapbis robuste impactis dicere: Ite nequissimi furciferi, ite ad publicum Nosocomium. Qui estis vos? Dixi, hodie in domo nostra non cœnabitis. Nos quidem hæc patienter tolerare, & totamente ac sincera caritate ei ignoscere. Sed fame, frigore, & incumbente nocte pressos tertio ad januam strepitum excitare, clamare, & cum sletu rogare, ut aperiat. Ipsum vero multo acrius accensum dicere: Vab homines supra omnem modum importunos & insolentes! sed faxo, ut taceant. Tum eum extrere nodoso fuste armatum, nos apprehenso*

cucullo tenere, in terram, lutum & nives de-  
de. Si hæc omnia lætantes patimur, & memores, nostrum esse opprobria & arumnas Jesu Christi sustinere, discite Frater, in his adversis perfectam inveniri lætitiã. Denique omnium Donorum Spiritus Sancti præcipuum est, se ipsum vincere, atque lubenti animo ignominiosa ex amore Dei pati. Hucusque S. Franciscus.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

§. XXXVII.

*Pœnitentia Interfectorum Episcopi Aniciensis.*

Superiore anno exeunte Robertum Meunium Episcopum Aniciensem par-  
ricidio sustulerat vir quidam Equestris, nomine Bertrandus de Cares, quem Episcopus ob damna Ecclesiæ illata excommunicaverat. Hunc Antistitem, licet Natalibus clarum, multo illustriorem reddiderant virtutes, præsertim amor puritatis, quam tota vita custodivit, etsi præstantem corporis speciem a natura accepisset. Interfectus est vero vigesima prima Decembris, anno millesimo ducentesimo decimo nono, & populus indignans pastoris sui necem, ac in latronis propinquos furens, eorum arces munitas solo æquavit. At Bertrandus,

Gall. Chron. to. 3. p. 916.  
G. Nang. an. 1220.  
Chro. Antiss. eod.

Nn 4



Sæcul. XIII. A. C. 1220. trandus, tetri facinoris pœnitentia subeunte, Romam cum conscis commisit absolutionem a crimine petiturus. Honorius Papa, ut ex gravissima pœnitentirent, quantum deliquerint, eos diu ante fores Palatii sui stantes, nudis pedibus, interula tectos nequicquam ejulantes & flentes expectare coegit. Tandem, ne in desperationem agerentur, & quia se meliorem in modum satisfacturos esse promittebant, juramento adstrictos, quod sequentem pœnitentiam implere vellent, absoluit.

Porro Pœnitentia fuit hujusmodi: *Illi, qui convenerunt, Episcopo insidias structuri, sed inscii, quod de ipsa Præstolis vita ageretur, si nihil aliud ad ejus necem contulerunt, sine mora Ecclesia Aniciensi, quæcunque ab ea tenent Feuda, reddant, nunquam ea repetant, nunquam eis jus sit in hunc finem actionem movendi. Tum per dies quadraginta in urbe Aniciensi, si ibi tuto degere possint, saccis vel ciliciis tecti, abscissis capillis, in pane & aqua bis in septimana jejunantes, ostiatim mendicent. Si ipsi Anicii tuto prodire non liceat, eandem quadraginta dierum pœnitentiam in aliqua alia urbe vicina peragant. Qua completa, in Terram sanctam proficiantur, biennio ibidem militaturi. Reliquo autem vitæ tempore omnibus diebus*

diebus Veneris in pane & aqua jeju-  
nent. Sæcul. XIII.  
A. C. 1220.

Bertrandus vero criminis auctor, postquam Ecclesie Aniciensi omnia, quae forte habet, Feuda restituerit, juret, se nunquam cuicumque Christiano arma illaturum esse. Ter quadraginta diebus Anicii, vel si in illa civitate secure versari non liceat, in alia sacco vestitus, & cineribus stratus, abscissis capillis, nudis pedibus ostiatim mendicet, & ter in septimana in pane & aqua jejuset. Omnibus diebus Dominicis per tres suas Quadragesimas ad Clericos & populum urbis procedat, nudus, virga manus tenens, quibus feriat. Postea mare transmitat, & in Terra sancta annis septem militet. Inde reversus Papam adeat, cum literis Patriarchae, aliorumque virorum spectatae auctoritatis, in quibus de ejus in Palaestina moribus testimonium contineatur. Tota vita sua singulis annis bis quadraginta dierum jejunium servet, atque in pane & aqua diebus Veneris & in Vigiliis jejuset. Septem annis a Communionem Corporis & Sanguinis Domini Nostri abstineat. Si, postquam ter quadraginta diebus praescripta perfecerit, Ordini Cartusensi vel Cisterciensi nomen det, reliquae penitentiae indulgentiam consequetur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1220.

4. ep. 810. ap.  
Rain. n. 28.

Huc usque Epistola Papæ, die decima Julii, anno millesimo ducentesimo vigesimo data, atque ad Episcopos Viariensem & Tricastriensem directæ, quæ reos ad suscipiendam pœnitentiam etiam adhibitis Censuris Ecclesiasticis compellere jubentur. Ceterum hoc exemplum inducere operæ pretium censui, ut quantum pœnitentiæ modus illa ætate a pœnitentia primorum sæculorum diversus sit, appareat.

## §. XXXVIII.

*Res Cruce signatorum in Oriente.*to. 3. Spicil.  
p. 373.

Inter hæc Jacobus Vitriacus, Episcopus Acriensis, Pelusii commorans, Epistola ad Honorium Papam, in Octava Paschæ, hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo in diem quintam Aprilis incidens, data, Res Cruce signatorum perferpsit in hunc modum: *Pelusio expugnato, complures ex nostris fortuna prospera abusi, iram Dei suis criminibus provocarunt, præsertim commissis fraudibus in divisione prædæ, Infidelibus detractæ, quæ in bonum commune comportari debuisset. Has opes male partas lusu, commessationibus, luxuria & expensis in meretrices collatis perdiderunt. Præterea detractores, seditiosi, refractarii, Sacerdotum & Excommunicationis Ecclesiasticæ contemtores, proditores, sum-*

ma nequitia Belli sacri successum retar- Sæcul. XIII.  
darunt. Rex Hierosolymæ, omnibus A. C. 1220.  
prope copiis suis abductis exercitum no-  
strum deseruit. Templi Magister cum  
majore Fratrum parte abiit. Equites  
Franci ferme omnes recesserunt, nec Pa-  
triarcha ultra apud nos commorari su-  
stinuit. Cyprenses & ferme omnes O-  
rientis milites ad sua redierunt, qui vero  
supersunt, gravissima paupertate premun-  
tur, vix quatuor quinqueve Ordinis E-  
questri viri suis sumtibus sustentantur,  
Legatus Sacræ Sedis illis, quibus potest,  
ex elemosynis in ærarium commune con-  
gestis alimenta aut stipendia præbet.

Itaque commilitones nostri ex urbe  
pedem efferre non audent, cobibiti me-  
tu Saracenorum, qui omnes longius er-  
rantes capiunt, jamque ultra tria nostro-  
rum millia in vinculis Alexandria, Cai-  
ri, & Damasci tenere dicuntur. Quin  
etiam Christianorum aliqui sua sponte  
ad castra Infidelium desciunt, & apostata-  
nt, eo consilio, ut detur licentius vive-  
re. At Ægypti Soldanus, cognita in i-  
stis hominibus ingenii levitate, eos in  
remotissimas Regni sui provincias ablegat,  
unde fugere non amplius possint, ubi ab  
omnibus contemptis vix tantum alimen-  
ti porrigitur, ut miseram vitam exi-  
gere possint, Infidelibus exprobrantibus,  
quod certe meliores & fideliores Sarace-  
ni

Sæcul. XIII.  
A. C. 1220.

*ni baud futuri essent, quam Christiani fuissent.* His Episcopus Acriensis subjungit; jam exercitum Christianorum, quos calamitas ad saniora compulisset, si eorum modestia cum priore morum licentia comparetur, Monachorum congregationi non absimilem videri. *Ejæta sunt, inquit, mulieres pellices, vacua lupanaria, clausæ popinæ, lusus, in quibus omnia fortunæ, nihil industriæ datur, prohibiti, Præfectus domui Legati S. Sedis, & duodecim Consiliarii, delinquentes severe plectere jussi.*

Mentionem deinde facit de quodam Principe, bello inclyto, Saracenorum hoste, quem ipse Davidem Indorum Regem nominat; sed conjicere debemus, fuisse celebratissimum illum *Ginguiscan*, quem Scriptores imperiti, eundem ac Joannem Presbyterum, sub quo prius meruerat, non distinxerint. Tum Jacobus prosequitur in hunc modum: *Anno superiore in manus nostras incidit quidam liber, magnæ apud Saracenos auctoritatis, scriptus ab Astrologo, qui ab ipsis propheta habetur. Is prædixit, quam metam rerum Mabometanorum Religioni Numen posuisset, eamque, sicut bello & armis suam deberet originem, ita etiam hostium suorum gladio perituram.*

*Vaticinia. Ea etiam omnia accurate vaticinatus est, quæ oculis nostris conspeximus, quare facilius*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1220.

facilius ei in illis, quæ futura sunt, si-  
dem adhibuimus. Prædixit vero, Chri-  
stianos, capto Pelusio, Alexandriam quo-  
que, Cairum, totam Ægyptum, Dama-  
scum, Alepum, & tandem Hierosoly-  
mam expugnaturus esse. Hoc anno Sy-  
ri alium veterem librum nobis ostende-  
runt, lingua Arabica scriptum, cum Ti-  
tulo: Revelationes S. Petri a S. Clemen-  
te ejus Discipulo conscriptæ, in quibus  
omnia, quæ ab exordio Ecclesiæ evene-  
runt, & quæ usque ad Antichristi tem-  
pora ac finem mundi eventura sunt, di-  
serte prædicit; præter alia Religionis  
Saracenorum interitum, brevi amisso Pe-  
lusio secuturum. Tum etiam mentio oc-  
currit de duobus aliis Regibus, quorum  
alter ex Oriente, alter ex Occidente, ad  
Sectam Mahometis, quam omnes probi  
abominantur, abolendam venturus est.  
Hunc librum in solatium populi præ-  
legi jussimus. Et ecce, post breve tem-  
poris spatium, adest gratissimus nuncius,  
de molimine Regis David, ab Oriente, &  
adventu Friderici Imperatoris, qui men-  
se Augusto proximo, valido einctus exer-  
citu, auxilia nobis allaturus dicitur.

Sed aliis quoque referentibus acce-  
pit Papa, quod Joannes Rex Hierosoly-  
mæ, relicta urbe Pelusio, Acriam rever-  
sus esset. Cujus rei causæ duæ vulga-  
bantur, altera quod universas vires Sa-  
racenis

Sæcul. XIII.  
A. C. 1220.

G. Naug.  
an. 1220.

4. ep. 662.

5. ep. 10.  
Rai. 1221.  
n. 15.

5. ep. 26.  
R. n. 55.

cenis ex Syria ingruentibus vellet objicere, altera, quod jura Reginae conjugis suæ in Regnum Armeniæ adversus Raimundum, Principem Antiochiæ, vindicare cogitaret. Sed vera discessus causa fuit funesta discordia, nata inter Regem & Pelagium S. Sedis Legatum, qui totius exercitus imperium & cujuscunque fortunati eventus laudem ambiebat. Quin etiam Dynastiam Pelusiacensem Romanæ Ecclesiæ subicere tentaverat, vi cujusdam Epistolæ Pontificis, qui ipsi tribuebat potestatem decernendi de omnibus ditionibus, quæ Christianorum armis occuparentur. Verum Rex Hierosolymæ, præsidio Pelusio urbi imposito, ejus conatus anteverterat. Hinc Papa Genuensibus, hac de re conquerentibus, scribens, quantum id ipsum sibi displiceret, significavit. Honorius Papa igitur, comperto Regis discessu, data ad eum Epistola, dicit, dubitare se, an sincere expeditionem in Armeniam molitur, & nihilominus districte prohibet, ne eam exequatur, hortaturque, ut concordiam inter omnes Christianos ultra mare positos foveat, & Pelagio Legato suo, ac si ipse adesset, obtemperet. Hæc Epistola die undecima Augusti anno millesimo ducentesimo vigesimo data est.

Præ-

Præterea belli sacri in Oriente tunc temporis facies cognoscitur ex Epistola Petri de Montaignu, Templariorum Magistri, ad Episcopum Elisensem in Anglia, Acriæ, vigesima die Septembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo, data, in qua dicit: *Scito, primo post expugnatum Pelusium trajectu* (nempe sequente vere) *tantam peregrinorum multitudinem advenisse, ut illis copiis, quæ ibi remanserunt, juncti ad urbis præsidium & propugnanda castra nostra sufficere possint. Legatus cum Clericis, cum Jesu Christi Regnum augeri cupiat, sæpe milites exhortatus est; excursionem in Infideles susciperent, sed obstiterunt Christiani exercitus Barones, pensantes, quod pauciores essent nostræ copiæ, quam ut hostibus ab urbibus repellendis, simulque in aperto Marte laceffendis pares essent. Nam Soldanus Babylonæ cum innumerablem Infidelium multitudinem locum castris suis prope Pelusium delegit, ac utrumque amnis alveum pontibus stravit munitis, ut nos arceat. Nihilominus urbem, castra nostra & litus maris cuniculis munivimus, expectantes a Deo solatium, opera illorum, qui nobis auxilia advecturi sunt.*

*Saraceni vero, non ignari inopiæ nostræ, triremibus multis armis virisque instructis, tanta mala Christianis in Terram*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.  
Math. Par.  
1221.



Sæcul. XIII. *ram sanctam navigantibus intulerunt, at  
A.C. 1220. supra fidem sit. Tanta erat in exercitu  
nostro auri penuria, ut aliquandiu  
ipsas triremes custodire non valuerimus,  
nunc vero viris impositis eas expulimus  
navali pugna hostem aggressuras. Sic  
to etiam, Coradinum Damasci Soldanum  
validissima Saracenorum manu collectis  
non inscium, quod Acria & Tyrus ur-  
bes destitutæ sint milite, qui eas defendunt  
Fidelibus tam aperte quam per insidias  
plurimum nocere. Et infra: Multum  
temporis effluxit, ex quo Imperatorem  
aliosque Principes ad nos trajecturos ex-  
pectamus; si autem æstate proxima hic  
auxiliis frustremur, Ditiones nostræ in  
Syria & Ægypto tam antiquiores quam  
novæ evidenter periclitantur. Simul  
vnum nostrum, quotquot hic ultra ma-  
re agimus, opes sumtibus, in bello factis,  
ita exhaustæ sunt, ut vix supervsit, unde  
frugali mensæ necessaria comparavimus,  
nisi Fideles promte subsidia offerant.*

Honorius Papa etiam literas a Car-  
dinali Pelagio Episcopo Albanensi, ejus-  
que in Oriente Legato, atque alias no-  
mine totius exercitus Christiani, apud  
Pelusium castra tenentis, datas accepit  
in quibus significabant, nunquam majore  
quam modo Terræ sanctæ fuisse ne-  
cessitatem, quod multi Cruce signato-  
rum recessissent, & qui remanserant, ad  
repe-

repellendas Infidelium incurfiones non  
 fuiffent. Id Papa refcripfit Conrado,  
 Scholaflico Moguntino, fuoque in Ger-  
 mania Legato, ut Cruce fignatorum pro-  
 fectionem urgeret. Atque ut animum  
 adderet, certiozem fecit, Imperatorem  
 Fridericum, cum Epifcupo Metenfi Can-  
 cellario fuo, tum Ducem Bavariæ, com-  
 plures alios Germaniæ & Apuliæ Princi-  
 pes, numero plusquam quadringentos,  
 cum multis viris Equeftris Ordinis ac  
 peditibus, Crucem accepiffe. Hæc Epi-  
 ftola vigefima feptima Novembris data.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1220.

§. XXXIX.

*Guilielmus Segnelacensis Epifcopus  
 Parisienfis.*

Petrus Cubicularius feu Nemoracensis *Gall. Chron.*  
 dictus, Epifcopus Parisienfis, Cruce *to. 1. p. 441.*  
 jam abhinc biennio accepta, obfidioni *Dubois to. 2.*  
 Pelufii initio interfuit, obiitque haud *p. 265. &c.*  
 diu poftquam adveniffet, die decima ter-  
 tia Decembris anno millefimo ducente-  
 fimodecimo octavo. Is antequam ex  
 Gallia folviffet, mense Junio, eodem an-  
 no, Teftamentum condidit, quo, ut com-  
 plura alia Legata pia fentio prætere-  
 am, domui S. Victoris magnam fuam  
 Bibliothecam, nempe forulos, in quibus  
 major quam in ceteris librorum nume-  
 rus continebatur (erant vero omnino  
*Hift. Ecclef. Tom. XIX.*    O o octo-

Sæcul. XIII. octodecim) donavit. Petro defuncto, A. C. 1220. Capitulum Parisiense Episcopum postulavit Alebrandinum Cajetanum, nobilem Romanum, Canonicum Parisiensem, & Cardinalem Presbyterum S. Sufannæ, quem, hanc electionem a se amoliturum, Papa Episcopum Sabinensem creavit. Quin Alebrandinus ne quidem eo adduci potuit, ut cum Episcopatu Sabinensi Præbendam suam Ecclesiæ Parisiensi retineret, licet id ipsi suaderet Papa, & vehementer urgeret. Hinc Capitulum præcepit Papa, ut hanc Præbendam Jacobo Cajetano, Cardinalis nepoti, conferret. Quod ex ejus Epistola die decima tertia Aprilis anno millesimo ducentesimo vigesimo primo data cognoscimus.

Cardinali Alebrandino Episcopatum Parisiensem recusante, Capitulum Magistrum Walterium a Cornu, ejusdem Ecclesiæ Decanum, Henrici Clementis, Franciæ exercitibus Præfecti, nepotem elegit. Sed Papæ hæc electio non probabatur, in qua Capituli suffragia erant divisa, atque ex plenitudine potestatis ad Ecclesiam Parisiensem Guilielmum Segnelacensem, Ecclesiæ Antisiodorensis jam annis quatuordecim Antistitem, transtulit. Nolebat huic oneri humeros supponere Guilielmus, atque ut Translationem amoliretur, Romam illa

*Chro. Antis.*  
an. 1220.  
*Hist. Ep.*  
*Ant. to. I.*  
*Bibl. Labb.*  
p. 492.

estate petiit; sed nihil obtinuit. Mu-  
 nus Episcopale Parisiis obibat, mense  
 Martio anno millesimo vigesimo, vide-  
 licet vigesimo primo ante Pascha, quod  
 ex Concessione Cæmeterii S. Nicolai de  
 pratis apparet. Guilielmus jura tempo-  
 ralia Ecclesiæ contra Optimatum molim-  
 ina vigore Sacerdotali defendit. In-  
 solentiam quorundam Scholasticorum  
 Parisiensium repressit, qui raptu, adul-  
 teriis, furtis, cædibus pacem ac securi-  
 tatem publicam, & non aliorum studio-  
 rum modo, sed etiam civium quietem  
 turbabant. Haud diu ante Episcopi Of-  
 ficialis Parisiis sententiam promulgave-  
 rat, qua excommunicabantur Clerici,  
 Scholastici eorumque famuli, qui sine li-  
 centia Episcopi aut ejus Officialis Pari-  
 siis diu nocturne armati incederent. Il-  
 los præterea excommunicationis telo  
 ferierat, qui mulieres abstraherent, vi  
 adhibita in alienam domum irrumpe-  
 rent, virginibus pudorem eriperent, qui  
 lasciviendi causa conventus agerent, &  
 illos, qui hujusmodi crimina commissa  
 haud ignorarent, & reos intra unius he-  
 bdomadæ spatium non indicarent. Ab-  
 solutio ab hac censura Episcopo aut e-  
 jus Officiali erat reservata, ad eos autem  
 Scholasticos, qui arma gestantes Lute-  
 tiam primum adveniebant, aut inde ad  
 sua remeaturi erant, non extendebatur.

O o 2 Hæ

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1220.  
 Dubois c. 7.  
 p. 270.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1220.

Hæc sententia die Veneris post Epiphaniam anno millesimo ducentesimo decimo octavo, id est, decimo nono ante Pascha, data est. Guilielmus Segneiacensis, suscepto Ecclesiæ Parisiensis Regimine, elapsis exinde mensibus decem & octo, contra sceleratos remedia efficaciora adhibuit. Seditiosorum præcipuos conjecit in vincula & carceres, aliisque ex urbe expulsis, pacem & securitatem reduxit.

§. XL.

*Fridericus II. Imperator coronatur.*

Fridericum Regem Siciliae, & antea electum Regem Romanorum, jam diu Honorius Papa vehementer hortabatur, ut Terræ sanctæ succurreret, quod ipse sæpe promiserat; sed differenti protectionem prætextus nunquam deerat. Prius Imperator coronari volebat, eoque ardentius, quod ejus æmulum mors abstulisset. Nam Otto Imperator anno salutis millesimo ducentesimo decimo octavo die decima nona Maji anno Imperii sui vigesimo e vita decesserat, qui ut publica signa ederet, quanto peccatorum suorum dolore tangeretur, pedibus puerorum in culina famulantium collum suum calcari voluit, & toto divi-

*Alb. Stad.*  
1218.

turni morbi sui tempore quotidie a Presbyteris flagellis cædi, tandem ei Sifridus Episcopus Hildesheimensis absolutionem impertitus est, ab Honorio Papa deinde confirmatam. Tum Fridericus eodem illo anno Rex Romanorum in Comitibus Erfordiæ agnoscitur. Ipse hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo comitibus Francofordiæ celebratis, rebus non nullis ad suscipiendum in Italiam iter compositis, filium suum Henricum, necdum infantiam egressum, Regem Romanorum eligi iussit, prætexens turbas, quæ se absente in Germania nasci possent. Comperto deinde, offensum esse Papam, quod electio Regis se inconsulto fuisset peracta, ad eum prolixam Epistolam dedit, in qua affirmabat, Germaniæ Optimates id se invito fuisse molitos.

Sed neutiquam hæc excusatio probatur Pontifici, satis intelligenti, contra ac ipse optasset, & Fridericus promississet, Siciliam Imperio jungi.

Fridericus Longobardiam attigit mense Septembri anno millesimo ducentesimo vigesimo, cumque Romam pervenisset, ab Honorio Papa in Basilica Sancti Petri cum Imperatrice Constantia conjugæ suæ in Festo S. Cæciliæ die vigesima secunda Novembris Dominica ultima post Pentecosten coronatus, de

O o 3 manu

Sæcul. XIII.  
A. C. 1220.  
*Th. Cantipr.*  
*lib. II. c. 53.*  
*n. 19.*  
*Alb. Stad.*  
*1220 ep. ap.*  
*Rain. n. 2.*

*Sup. Lib.*  
*LX. §. 15.*

*Ric. S. Ger.*  
*1220.*

Sæcul. XIII. manu Cardinalis Hugolini Episcopi O-

A.C. 1220.

*Hon. V. ep.*  
*250. Rain.*  
*n. 21.*

*5. ep. 210. t.*  
*noverit 49.*  
*de sent. ex-*  
*com.*

*Const. Frid.*  
*post lib.*  
*Fend.*

stiensis Cruce accepta, votum in Terram sanctam proficiscendi antea editum publice confirmavit, promisitque, se validum subsidium, ubi Crucesignati mense Martio anno millesimo ducentesimo vigesimo primo mare trajicerent, missurum esse, & mense Augusto se ipsum venire consensurum. Inter Missæ solennia, cum Imperator coronaretur, Papa excommunicationis sententiam denunciavit contra omnes Hæreticos eorumque Fautores, ac contra illos, qui sibi subditos ad Statuta & Consuetudines Ecclesiæ Libertati adversas servare compellerent, nisi hos abusus intra duorum Mensum spatium abrogarent.

Eodem die Fridericus Imperator in Basilica S. Petri Legem Summi Pontificis Constitutioni consentaneam promulgari jussit, cui ipse pœnas temporales addidit; nempe contra illos, qui conderent vel servarent Statuta Libertati Ecclesiasticæ repugnantia, decernit infamiam, latae sententiæ, aliorumque Actorum publicorum abrogationem, atque ut expleto anno Imperii Banno percellantur, & eorum bona cuicumque occupanti concedantur.

Præterea, qui Ecclesias vel viros Ecclesiasticos imperatis tributis vexaverint, Banno Imperii subjiciantur, & ad restitu-

restituendum triplum compellantur. Sæcul. XIII.  
 Quicumque Personam Ecclesiasticam co- A. C. 1220.  
 ram Judice sæculari sive in judicio civili,  
 sive criminali persecutus fuerit, jus suum  
 amittat, & Judex Jurisdictione sua pri-  
 vetur. Eadem pœna sit Judicis, si a Cle-  
 rico ter monitus ei justitiam non admi-  
 nistret. Patarini, Leonistæ, Arnaldistæ  
 alique Hæretici infamia notantur, eis  
 publice bellum denunciatur, Banno pro-  
 scribuntur, eorum opes arario Principis  
 addicuntur, liberi ab hæreditate paren-  
 tum excluduntur. His adduntur pleræ-  
 que clausulæ, quæ in Decreto ultimi  
 Concilii Lateranensis contra Hæreticos  
 occurrunt. Tum sequuntur non nulla  
 Statuta naufragis, peregrinis in itinere  
 morientibus, & agricolis faventia. Tan-  
 dem hanc Imperatoris Constitutionem  
 Papa confirmat.

§. XLI.

*Papa profedtionem sacram urget.*

Ceterum Pontifex in omnibus provin-  
 ciis auxilia Pelusium mittenda ur-  
 gebat. Data Epistola, Archiepiscopum  
 Rotomagensem ejusque Suffraganeos  
 hortatus est, ut, prædicatoribus in totam  
 illam provinciam missis, Cruce signatos  
 ad arma capiendâ excitaret. Conrado  
 Reismbergensi, suo in Germania Lega-  
 to, antea Ecclesiæ Spirensis Decano, &  
 Mogun-

*S. ep. 356.*

*Rainald.*

*1221. n. I.*

*Bucel. p. I.*

*p. 18.*

*ep. 357.*

O o 4

Mogun-



Saecul. XIII.  
A. C. 1220

ep. 460.

ap. Hon. ep.  
450.

ep. 440.

Moguntinae Canonico, nuper electo Episcopo Hildesheimensi, monita transmissit, ne acquisita Dignitate Episcopali a praedicatione Belli sacri retardari se pateretur. In Italia Legatum suum in negotio sacrae peregrinationis creavit Honorius Cardinalem Hugolinum Episcopum Ostiensem, quem ob fervorem discretum & optimi exempli vitam, populis ad hoc bellum excitandis maxime idoneum censuit. Epistola, qua eum Papa Episcopis Italiae commendat, die decima quarta Martii anno millesimo ducentesimo vigesimo primo data est.

Quin etiam Fridericus Imperator, Salerni commorans, jam die decima Februarii ad Cardinalem Hugolinum Epistolam dederat, in qua dicebat, se, ut piissimo & utilissimo bello faveret, plenam potestatem ei tribuere, qua omnes Banno Imperii subjacentes, intra Legationis suae fines, absolveret, ita enim negotium expeditionis contra Saracenos sibi curae esse, ut nihil magis.

Eundem ardorem Imperator profitetur, cum Mediolanenses ad opem Palaeatinae ferendam exhortatus est, data Epistola, cujus ornatus jactantiam magis & simulationem, quam sinceritatem redolet.

Interim Fridericus, cum ipsi expeditio suscipienda esset, tergiversabatur;

sæcul. XIII.

A. C. 1220.

ep. 709.

ut cognoscimus ex Papæ querelis in Epistola, die decima tertia Junii ad eum data, in qua dicit: *Utinam Deus tibi banc mentem inderet, & pensares, quam ardenti tui desiderio Ecclesia Christianorum transmarina teneatur, & quanta spe recreaveris Ecclesiam universam, quæ te ad vindicandam urbem Hierosolymam, relicta omnibus, summum conatum adhibiturum eo confidentius credit, quod ad id perficiendum cunctis necessariis divinæ Providentiæ beneficio instructus sis. Nunc vero multorum murmurantium gemitus audiuntur, quod edito voto promissa exequi differas, & retineas triremes, in quas arma virosque contuleras, tempestive auxilio futuras, si modo mitterentur, cum hujus generis navigiis exercitus Cruce signatorum caveat. Claudit Papa Epistolam, Principem in nomine Jesu Christi, qui ipsa veritas esset, obtestans, ut bona fide promissa impleat, & in re tanta sincere agat. Respondit Imperator, se, ut mandatis Papæ obsequeretur, in Palæstinam misisse triremes quadraginta, Ducibus Comite Maltensi, & Episcopo Catanensi, instructas. Cui reposuit Papa; si Imperatori fixum fuisset tunc non proficisci, saltem triremes suas mittendas fuisse, quæ multo plus auxilii attulissent.*

O o 5.

Hoc

Sæcul. XIII.

A. C. 1221.

*Ric. S. Ger.*

Hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo primo ineunte, Fridericus Imperator in Apulia versabatur, unde in Siciliam delatus, complures Constitutiones Regno utiles edidit. Quia vero etiam de quibusdam Ecclesiis Cathedralibus suo arbitrio decrevit, Papa per litteras conquestus est, in hunc modum: *Diu est, ex quo fama ad nos detulit, quod potestatem tuam ad electionem Episcoporum extendas, nominatim ad Ecclesiam Averfanam aliasque in provincia Salernitana vacantes. An funestum Antecessorum tuorum abusum revocare moliris, immemor, quod contrarium Innocentio Papæ tumque nobis iurejurando promiseris?* Hæc Epistola vigesima prima Augusti data.

## §. XLII.

*Robertus Imperator Constantinopolitanus.*

Inter hæc Constantinopoli Robertus Cortenacensis Imperium consecutus fuerat. Cum Jolanda Imperatrix, Petro Imperatore Marito suo in vinculis detento Constantinopolim pervenisset, in lucem edidit filium, quem a propinquo sui nomine Balduinum amici appellarunt, atque anno millesimo ducentesimo decimo nono mater fatis functa est. *Pe-*

*du Cange  
hist. C. P.  
lib. 3.*

*Chr. Antis.*

trus vero decedens duos alios filios reli- Sæcul. XIII.  
 querat, sed absentes, quare ne Imperium A. C. 1221.  
 Duce careret, usque dum Successor pos-  
 sessionem arriperet, Optimatibus visum,  
 Cononem Betuniensem Præfectum seu  
 Vicarium Imperii eligere. Jus Regni  
 competeat Philippo Cortenacensi, Co-  
 miti Namurcensi, Petri Imperatoris fi-  
 lio natu majori, quem Optimates, Le-  
 gatione in Franciam adornata, ad coro-  
 nam invitarunt; sed ille honorem onus-  
 que a se removens, Robertum fratrem  
 suum obtulit, qui cum Legatis, anno  
 millesimo ducentesimo vigesimo exeun-  
 te, iter ingressus est. Is hyeme in Hun-  
 garia apud Andream Regem, qui ejus so-  
 rorem Jolandam duxerat, transacta,  
 postquam Constantinopolim pervenit,  
 in Ecclesia S. Sophiæ, in Festo Annuncia-  
 tionis, die vigesima quinta Martii, anno  
 millesimo ducentesimo vigesimo primo,  
 coronatus est a Patriarcha Mathæo Ger-  
 vasi Successore. Is antea Episcopus Æ- 5. ep. 397.  
 quiliensis in Longobardia, ad Sedem Pa-  
 triarchalem Constantinopolim transla-  
 tus, officio pastorali haud digne profe-  
 cto functus est.

Robertus Imperator Pacta Clerico-  
 rum Romanæ, Dominica tertia Adventus,  
 die decima quinta Decembris, anno  
 millesimo ducentesimo decimo nono,  
 cum Conone Betuniensi, haud diu post  
 defun-

Sæcul. XIII. defuncto, inita, rata habuit. Cujus  
 A. C. 1231. Transactionis, præsentè Cardinali Le-  
 gato Joanne Columnio peractæ, præci-  
 pua statuta erant sequentia: Clerici &  
 viri Religiosi tam Latini quam Græci  
 cum suis familiaribus, iisque, qui ad Ec-  
 clesias confugiunt, ab omni Jurisdictione  
 Laicorum exempti sint. Omnes Ec-  
 clesiæ Cathedrales gaudeant rebus suis  
 immobilibus, quas legitima possessione  
 tenebant tempore Imperatoris Alexii,  
 cognomento *Bambacorax*. Est is Ale-  
 xius Comnenus ob vocem inamoenam  
 ita dictus. Ecclesiæ his bonis libere ut-  
 untur, exemptæ ab omni Jurisdictione  
 Laicorum & ab omni exactione, exce-  
 pta *crustica*, id est, Censu. De Deci-  
 mis Feudorum singulares constitutiones  
 conduntur, siue Feuda sint a Summo  
 Principe, siue ab aliis Optimatibus con-  
 cessa. De aliis bonis Latini totam dec-  
 imam partem solvant, Græci vero so-  
 lummodo partem trigessimam per decem  
 annos, quibus elapsis, partem decimam  
 pendunt, nisi Ecclesia Romana dispen-  
 saverit. Videlicet Ecclesiæ Græcæ  
 mos non erat Decimas dare. Hæc pa-  
 cta a Roberto Imperatore mense Junio  
 anno millesimo ducentesimo vigesimo  
 primo confirmata sunt.

V. Cange.  
 Glos. Cru-  
 stica.

§. XLIII.

Sæcul. XIII,  
A.C. 1221.

*Fratres Minores in Germania.*

Sancto Francisco hoc anno Capitulum Generale ad Festum Pentecostes, die trigesima Maji, celebrante, Minister Generalis subrogandus erat Petro Catanensi, Assisi die decima Martii vita functo; cumque S. Franciscus Deum consulisset, credidit, divinam voluntatem sibi innuere, ut Fratrem Eliam secundo ad hunc gradum eveheret, quod etiam effectum dedit. In hoc Capitulo antequam Fratres dimitteret, Franciscus pedibus Eliæ assidens, prehensa ejus tunica, quid vellet secreto significavit. Tumque Elias surgens ad totam Congregationem dixit: *Fratres mei, dicam quid cupiat Frater.* (ita enim simpliciter S. Franciscum ob Magisterii excellentiam appellabant) *Datur Regio (Germania) quorum incolæ Christiani sunt & Deo devoti. Hi per patriam nostram commigrant, ut scitis, longos scipiones in manibus & amplas ocreas in pedibus gerentes. Solis ardentis patientes sunt, quod ex sudore disfluente cognoscitur, atque ad Sanctorum limina pie pergentes, Laudes Dei & Cælitum decantant. Sæpius ex Fratribus nostris aliquos ad banc Gentem misi, qui male affecti redierunt. Quare neminem ad illuc proficiscendum cogo, sed*

Vadi. 1221.  
n. 3. 4.

7. 3. 5

8. 2

Sæcul. XIII. *sed si quis amore divinae Glorïæ & salutis animarum motus hoc iter suscipiat, ei tantum obedientiæ meritum, atque etiam amplius promitto, quantum, si cum sacris militibus mare transmitteret, acquireret.*

A. C. 1221.

n. 6. 7.

n. 8.

Illico Fratres ferme nonaginta se se obtulerunt, ad obeundam hanc Missionem, quam tanquam Martyrii occasionem amplectebantur. Iisque Præpositus datus est, ac in Germania Minister, Frater Cæsarius, Spiræ natus, haud diu ante Fratris Eliæ prædicatione conversus, vir magna caritate, ac prius in Saeculo eloquentissimus Orator. Is ex omnibus, qui se Missioni Germanicæ operam duros promittebant, haud plures quam viginti septem Fratres, Clericos duodecim & Laicos quindecim delectos, trinos deinde aut quaternos in diversa sparsit. Cum ad Festum S. Michaelis Tridentum pervenissent, eis Episcopus per dies quindecim omnia subsidia necessaria pio affectu præbuit. Ubi vero per valles inter continua montium juga iter faciendum fuit, multa a ferocibus indigenis passi, non nunquam silvestribus pomis, si quæ sponte nascuntia in arboribus invenissent, vires utcumque reficere coacti sunt. Tandem Augustam Vindelicorum evadunt, ubi ab Episcopo, Clericis & toto populo magna

gna devotione suscipiuntur. Ibidem ad Sæcul. XIII.  
 Festum S. Galli, nempe diem decimam A. C. 1221.  
 sextam Octobris, Cæsarius, primo Ca-  
 pitulo Generali in Germania cum tri-  
 ginta ferme Fratribus celebrato, eosdem  
 in varias vastissimæ Regionis provincias  
 dimisit.

§. XLIV.

*Martyres Septenses.*

Sub idem tempus, ut conijcere est, Da-  
 niel Minister in Calabria a Fratre E-  
 lia licentiam, cum sex aliis Fratribus Sa-  
 muele, Domno seu Domnulo, Angelo, *Sur. 13. Off.*  
 Leone, Nicolao & Hugolino ad Sarace-  
 nos migrandi, iisque Fidem prædicandi *Vad. 1221.*  
 obtinuit. Ergo in portu quodam Thu-  
 seie navem conscendunt, & Tarraco-  
 nam appellantur, unde Septam\*, *\* Centa*  
 proximam in illo freto Africae urbem, tra-  
 jicere statuunt. Prior illuc navigavit  
 Daniel cum tribus aliis, quia gubernator  
 plures devehere detrectaverat. Ad il-  
 lam oram expositi, extra urbem in quo-  
 dam pago commorati sunt, ubi merca-  
 tores Pisani, Genuenses, & Massilienses  
 diversabantur, quippe, nisi licentiam a  
 Præfecto impetrassent, Christianis ur-  
 bem intrare non permittebatur.

Interim vero Fratres quatuor Mino-  
 res his mercatoribus Verbum Dei præ-  
 dicabant, præstolantes socios suos, qui  
 die



Sæcul. XIII. die vigesima nona Septembris adve-  
 A. C. 1221. runt. Die Veneris sequente, mensis Oc-  
 tobris prima, de rebus ad propriam sa-  
 lutem spectantibus consultarunt. Sab-  
 bato peccata sua confessi, sanctam Com-  
 munionem acceperunt, tumque recita-  
 tis vesperis sub noctem alter alterius pe-  
 des laverunt.

Die Dominica summo mane, anto-  
 quam hominum frequentia plateas stre-  
 pitu impleret, urbem intrant, cineribus  
 capita aspersi, & magna voce prædicare  
 incipiunt; non dari salutem nisi in Je-  
 su Christo. Irruunt Mauri, atque con-  
 tumeliis & verberibus affectos, ad Re-  
 gem suum deducunt, qui fratrum isto-  
 rum capita raso, &, relicta circum ca-  
 pillorum parte, coronata conspiciens  
 homines esse dementia laborantes ratus,  
 vinculis onustos in carcerem conjici  
 præcipit. Tum postquam octiduo inclusi  
 fuissent, die Dominica, mensis Octobris  
 decima, Rex in conspectum admittis, ma-  
 gnas opes offert, si Musulmannorum re-  
 ligioni nomen darent. In Fide Christi  
 constantes separari & singulos tum pro-  
 missis tum minis tentari præcipit; sed  
 videns, eos non solum vinci non posse,  
 sed etiam Mahometem insectari, contu-  
 maces capite damnat. Tunc vero ses-  
 alii, ad pedes Danielis se demittentes,  
 gratias agere, quod sibi viam ad coronam  
 Martyr.

Martyrii prævisset, & Benedictionem petere. Ille omnes ulnis suis completus forti animo esse jubet. Mox nudi ad locum supplicii trahuntur, quo cum ipsi tanquam ad convivium invitati processissent, omnes septem gladio feriuntur.

Eorum capita & corpora a pueris virisque Infidelibus contracta ac frustatim concisa, Christiani deinde collecta & interim in armamentario Massiliensium occultata, in oppido suo prope Scipiam urbem sepelierunt. An aliquando inde translata fuerint, aut ubi nunc sint, nescimus. Illud vero nemo ignorat, quod post annos exinde ferme trecentos, nempe anno millesimo quingentesimo decimo sexto, Fratres Minores a Leone Papa X. licentiam obtinuerint, de his septem Martyribus officium solemne recitandi, die nona Octobris, quamvis Martyrologium Romanum die ejusdem mensis decima tertia, qua scilicet passi sunt, eorum mentionem faciat.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

Vad. n. 42.

M. R. 13. Oct.

§. XLV.

S. Antonii Patavini exordia.

Capitulo Generali ad Pentecosten anno millesimo ducentesimo vigesimo primo celebrato interfuit S. Antonius Patavinus, nuper in Ordinem susceptus, is Ulissipone in Lusitania natus, anno

Hist. Eccles. Tom. XIX. Pp mil-

Sæcul. XIII. millesimo centesimo nonagesimo quinto,  
 A.C. 1221. & e fonte Baptismi Ferdinandus dictus,

*Sup. n. 25.*

cum ad annum ætatis decimum quintum pervenisset, Monasterium Canoniorum Regularium S. Vincentii prope Ulissiponem adiit. Ut vero amicos frequenter ad se invisentes fugeret, elapsò biennio, ad Conventum S. Crucis ejusdem Ordinis S. Augustini Coimbriam transit, ubi ad sacrarum literarum studium incubuit. Cum Infans Dominus Petrus corpora quinque Fratrum Minorum, qui Marochii, anno millesimo decentesimo vigesimo ineunte passi fuerant, in Lusitaniam transferri jussisset, & eorum Martyrii adjuncta Ferdinando ab amicis fuissent relata, eandem palmam consequendi spe incensus, Franciscanorum Institutum suscipere decrevit. Haud diu post Fratres Minores, domum prope Coimbriam habentes, ad Conventum S. Crucis venerunt, eleemosynam, ut solebant, collecturi. Tunc vero læticiam vix capiens Ferdinandus, captata secreto eis colloquendi occasione, mentem suam iisdem candide aperuit. Graciosa Fratribus mutatio fuit, & tunc quidem, die, qua destinata novus Novicius exequeretur, præstituta, recesserunt. Adfuit ipsi illa die, & veste Ordinis sui in ipso S. Crucis Monasterio ei tradita, ad locum sui domicilii, quod S. Antonius

Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

de Olivarez dicebatur, volentem deducunt, & rogantem, ut se deinceps Antonium appellarent, sicque mutato nomine importunitatem illorum, qui ipsum quæsituri essent, falleret.

Cum Antonius vehementissimo Martirii desiderio arderet, licentiam obtinuit in Africam navigandi. Sed in eam mundi partem appullus, diuturno & gravi morbo afflictus est; unde in Hispaniam revertendi consilium cepit, & nare conscensa, vi ventorum in Siciliam depullus est. Ubi inaudiens, Capitulum Generale Assisii brevi esse celebrandum, illuc licet male affecta valetudine, ut potuit, se contulit. Soluta deinde Capitulo, omnes Fratres, quocunque eos obedientia vocabat, dimittuntur. Sed nemo expetebat Antonium, utpote omnibus ignotum. Itaque se ipsum Fratri Gratiano, Campaniæ Romanæ Ministro, offert, & rerum divinarum scientiam suam ac præclaras dotes silentio premens rogat, ut se in Disciplina Regulari instituendum a Ministro Generali exposceret. Ergo Gratianus Antonium secum deduxit, rogantemque, ut sibi quemdam locum recessus concederet, in eremum montis S. Pauli prope Bononiam misit, in qua solitudine corpus macerans, in pane & aqua jejunans, con-

P p 2                  templa-

Sæcul. XIII. templationi & orationi intentus diu per-  
 A.C. 1221. mansit.

## §. XLVI.

*Ordo tertius S. Francisci.*

*Vad. 1221.*  
 n. 13.

\* forte Ca-  
 merini

Dimisso Capitulo Generali, cum S. Fran-  
 ciscus pœnitentiam prædicaret, in  
 urbibus Assisio propinquis, atque præter  
 alias Canariæ\*, incolæ ejus sermonibus  
 usque adeo commoti sunt, ut relictis om-  
 nibus turmatim Virum sanctum seque-  
 rentur.

His juncti sunt ex vicinis oppidis  
 plurimi, rogantes, ut modum eos docer-  
 ret, quo facilius vitam Christianam de-  
 cerent. Multis viris uxores suas relin-  
 quere & mulieribus a maritis discedere  
 cupientibus seseque in Monasteria inclu-  
 dere, Franciscus, ne legitima matrimo-  
 nia solveret, & regionis illius agris cul-  
 tores subtraheret, omnibus suasit, ut do-  
 mi suæ Christiana pietate Deo servirent,  
 promisitque se eis daturum Regulam,  
 quam si servarent, in via virtutis proce-  
 dere, & vitam degere possent, a Religio-  
 forum virorum Instituto haud multum  
 abhorrentem, etsi rigorem non sentirent.  
 Aliorum quoque fervorem nimium in  
 urbibus Thuscis, præsertim Florentia,  
 continuit, sicque tertius Ordo S. Fran-  
 cisci ortus est, cujus Constitutiones, im-  
 plius manu scriptæ non extant, sed solum-  
 modo

*Vading.*  
 nota 1. in  
 Reg. tert.

modo in ordinem ab alio diggestæ, & a Sæcul. XIII.  
Nicolao IV. Papa, post annos sexaginta A. C. 1221.  
octo, confirmatæ.

Qui hunc tertium Ordinem profitebantur, Fratres *de penitentia* dicti sunt, atque omnium primus refertur Luchesus, qui S. Francisco prope oppidum, vulgari lingua *Poggi-Bonzi*, in Thuscia occurrit. Is prius mercaturam fecerat, avaritiæ vitio notissimus, ac præterea Welphorum factioni plus æquo addictus; sed ipse conversus, uxori quoque suæ, cui nomen *Bona-Donna* persuasit, ut in posterum vitam ad Christianæ Disciplinæ leges componeret. His ergo S. Franciscus tertii Ordinis habitum contulit, coloris cineracei, modestum, cum nodoso cingulo, & viva voce futuram vitæ rationem præscripsit.

### §. XLVII.

#### *Ordo Fratrum Prædicatorum propagatur.*

Sanctus Dominicus Bononiæ alterum Ordinis sui Capitulum Generale, in eodem Festo Pentecostes, die trigesima Maji, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, celebrans, octo Fratres Provinciales, spectatæ virtutis viros eligi, jussit, qui Fratribus in totidem Provincias sparsis, nempe in Hispaniam, *Theod. IV. c. 7.*

Pp 3 Fran-

Sæcul. XIII. Franciam, Longobardiam, Campaniam  
A.C. 1221. Romanam, Provinciam, Germaniam,

*Jord. c. 50.*

*Boll. vita.*

*Jord. to. 4.*

*p. 722. n. 13.*

Hungariam, & Angliam, præessent. In Angliam misit Giselbertum cum tot Fratribus, quot ad constituendam Congregationem necessarii videbantur. In Hungariam misit Paulum, in illa Genitum, haud diu abhinc Ordini adscriptum, postquam Jus Canonicum Bononiæ publice docuisset. In eodem Capitulo Dominicus Priorem Provinciæ Longobardiæ creavit Fratrem Jordanem. Is tunc Parisiis agebat sub Priore Mathæo, cui & Ordini ipsius eodem anno Universitas jus suum omne contulit in S. Jacobi domum, in qua Dominici Fratres sedem fixerant. Huic Donationi conditiones adjunctæ; Fratres Prædicatores profiterentur, se hanc domum Universitati Parisiensi in acceptis referre, & Magistros Scholasticosque tanquam Fratres suos, precum suarum & bonorum operum participes efficerent.

*Jord. M.S.*

51.

Sub idem tempus Eberhardus Archidiaconus Lingonensis, vir splendore virtutum & auctoritate in Ecclesia illa conspicuus, Fratrum Prædicatorum Institutum amplexus, suo exemplo multis aliis conversionis occasio fuit. Cum Fratrem Jordanem tenero amore prosequeretur, eum in Longobardiam proficiscentem comitatus est, etiam deside-

rio S. Dominicum videndi impulsus. Ce-  
 terum quia Frater Eberhardus in Francia  
 & Burgundia erat notissimus, nemo non  
 iter facientis paupertatem Evangelicam  
 mirabatur. Tandem Lusuni, cujus civi-  
 tatis Episcopatum olim sibi oblatum re-  
 cusaverat, morbo correptus, paucis post  
 diebus extinctus est. Advertens, quod  
 sibi ab amicis celaretur, ex medicorum  
 iudicio de vita actum esse, ad Provin-  
 cialem ait: *Illis, quibus amara est mor-  
 tis memoria, celanda est; sed ego hac  
 miserabili carne spoliari non pertimesco,*  
*sperans, me ad caelestia tabernacula per-  
 venturum.* Jordanes vero hoc morien-  
 ti Eberhardo Testimonium reddidit:  
*Beata omnino ejus mors mihi videbatur,  
 ex eo, quod cum ipsius obitum mihi do-  
 loris & perturbationis materiam futu-  
 rum esse crederem, me potius sancta lati-  
 tia replevi senserim.*

## §. XLVIII.

## S. Dominici obitus.

Celebrato Capitulo, S. Dominicus ali-  
 quamdiu Bononiae commorans, &  
 non nunquam illius civitatis Clericos a-  
 micos suos invisens, cum quadam die  
 de contemptu mundi & vitae praesentis  
 ludibrio disseruisset, subito valedicens,  
*videtis me hodie sanum, inquit, sed ante  
 Beatæ Dominae nostræ assumptæ Festum*  
 Pp 4 *migra-*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

2. Cor. 5. 1.

Th. c. 8. 12.  
Jord. c. 52.  
Th. 5. c. 1.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

*migrabo ad Dominum.* Exinde Carthagenam Hugolinum, in Longobardia S. Sedis Legatum, adiit, cum eo de Ordinis sui propagatione consultaturus; unde Bononiam reversus est, mense Julio exeunte, labore itineris & æstu, illo anni tempore intolerabili, summopere fatigatus. Nihilominus ubi domum pervenit, cum Priore, nomine Ventura Veronensi, & Cellario, nomine Rudolpho Faventino, de variis Ordinis negotiis usque ad noctem deliberavit. Ubi tempus monuit, cubitum discedendum esse, illi instantissime rogare Dominicam quietem usque adeo necessariam sibi ipsi indulgeret, & a Psalmis matutinis abesset. Ipse vero ad Ecclesiam processit, & postquam ibi pro more suo noctem orando transegisset, etiam matutinis interfuit.

Quibus persolutis, dixit ad Priorem, caput sibi dolere, ac protinus eum morbus invasit, ex quo decessit, videlicet violenta febris, quam alvi tormina comitabantur. Tanta fuit ægrotantis patientia, ut nihilominus semper hilaris conspiceretur. Noluit in lecto decumbere, sed, ut adsueverat, super saccum jacebat. Extremum vero tempus imminere sentiens, Noviciis in conspectum adduci iussit amorem Dei & Discipline regularis in Ordine suo commendavit.

Tum

Tum Priore & compluribus aliis Presbyteris convocatis, generaliter omnia peccata sua confessus, adjecit: *Huc usque, Deo custodiente, virginitatem servavi, quam si & vos illibatam vultis, omne cum mulieribus commercium, quod periculo non caret, fugite. Huic virtuti si paupertatem jungitis, Deo amabiles eritis & utiles proximo, sparsa bonæ famæ odore. Deo ferventi animo servite, & hunc Ordinem omnibus viribus propagate.* Super omnia inculcavit paupertatem Evangelicam, tanquam Instituti Prædicatorum fundamentum, & ne istam constitutionem prudentia carnis everteret, severe prohibuit, addita divinæ suæque maledictionis comminatione, ne possessio rerum temporalium in Ordinem introduceretur.

Obiit S. Dominicus, jacens in cinere, die Veneris sexta Augusti anno millesimo ducentesimo vigesimo primo. Super nudum corpus catena ferrea ad modum cinguli inventa est. Sepultus est Bononiæ apud Fratres suos, parentante Cardinale Hugolino, qui viventis virtutes maximi fecerat, & amicitiam singulari affectu coluerat, tunc præsens, cum Dominicus Napoleonem a mortuis revocavit. Præter hunc Cardinalem defuncti exequias honorarunt illi Præfules, qui Sacræ Sedis Legatum obsequi

Pp s.

quii

Sæcul. XIII. A. C. 1221. qui causa comitabantur, atque etiam Patriarcha Aquilejensis, quidam Episcopi, Abbates, & maxima populi frequentia. Complura miracula edita Domitici sepulchrum illustre effecerunt. Ceterum Vir sanctus a natura accepta staturam mediocrem, venustissimum corporis habitum, decoram faciem, colorem purpureum, nitentem barbam & flavam cæsariem, micantesque oculos, quibus omnium se intuentium venerationem & amorem rapiebat. Semper jucundus videbatur, nisi forte proximi patientis commiseratio ad mœrendum compelleret. Vox ejus erat amœna, blanda, & more tubæ sonora. Ad Cœlestia autem abiit anno ætatis quinquagesimo primo (\*).

§. XLIX.

(\*) Tandem Natalis Alexander postquam varia de Ordinis sui Sancto Patre retulit, ex Magistro Alexandro, postea Cestrensi Episcopo, sive somnium sive parabolam cujusdam Scholaris Bononiensis narrat, quem quadam nocte in somnis medio campo tempestate nimia deprehensum, & tres domos pulsanter, a tribus Matronis Justitia, Veritate & Pace repulsam, quarta seu Misericordia suscepit, bonumque consilium suggestit, his verbis: *Si ab imminente tempestate salvari desideras, vade ad Sanctum Nicolaum, ubi habitant Fratres Prædicatoris.*

## §. XLIX.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1221.*Pelusium amittitur.*

Pelagius S. Sedis Legatus Pelusii sum-  
mopere dolens, quod Cruce signati  
innumeri rem Christianam juvare non  
possent, absente Rege Hierosolymæ, da-  
tis ad eum literis rogavit, ut abjecta mo-  
ra rediret. Aduit ille, cumque com-  
muni consilio, quid agendum esset, sta-  
tuissent, Rex & Legatus, magna exer-  
citus parte arma capere & sequi iussa,  
ad Festum S. Petri, scilicet mense Junio  
exeunte, Pelusio excefferunt, & Cairum  
versus iter ingressi sunt, annona ad duos  
menses suffectura instructi. Cum ad  
locum pervenissent, ubi Nilus in tres la-  
tissimos alveos dividitur, æquali inter  
Pelu-

*G. Nang. an.*

1221.

*Godes. Mo.**eod. ep. ap.**Math. Par.**an. 1222.**Abulfarag.*

p. 294.

tores, & inuenies ibi stabulum Pœnitentiæ, &  
præsepe continentia, & pabulum doctrina, &  
asinum simplicitatis, & bovem discretionis, Ma-  
riam illuminantem, & Joseph proficientem, &  
puerum Jesum te salvantem. Hæc cum evi-  
gilaret . . . mox implevit. Post alia subjungit  
Natalis: S. Dominicum inter Scriptores Ecclesia-  
sticos non recensui. Et ostendit deinde, quæ  
S. Viro tribuuntur, vel supposititia esse vel val-  
de incerta. Verum illud admirationem mo-  
vet, quod Natalis de mortuis a Sancto Viro su-  
scitatis, & a Fleurio suo loco memoratis altissi-  
me fileat.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

Pelusium & Cairum distantia, navibus, quibus Saraceni fluvium junxerant, in suam potestatem redactis, in campo, quem idem Nilus alluebat, castra metati sunt. *Camel* Soldanus copias, quantas poterat ex tota Syria, fratribus suis aliisque suæ gentis Principibus sibi faventibus, contraxerat, Pelusium ex potestate Francorum liberaturus. Sed cognita eorum temeritate & multitudine, nullo justo prælio decernere statuit, vias vero obsideri & muniri jussit, ne ex Pelusio vel annonam vel virorum supplementa acciperent, sperans, nullo militum impendio hostem deleri posse.

Non sefellit solertem Barbarum conjectura sua; nam Christiani, deficiente comœatu, & Nili se se, ut solet, attolentis fluctibus tota castra inundantibus, famelici, & lutosæ aquæ usque ad genua immersi, inducias cum Saracenis inire coacti sunt, his conditionibus: Pelusium redderent, Soldanus vero, Crucis veterem partem, quam Saladinus Hierosolyma abstulerat, restitueret, Inducias ad annos octo concederet, & omnes captivos Christianos, dato Acriam usque præsidio, dimitteret. Ita amissum est Pelusium die Mercurii, in Festo Nativitatis Beatæ Virginis, octava Septembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, postquam anno uno & decem mensibus

mensibus in potestate Christianorum Sæcul.XIII.  
A.C.1221.  
fuisse.

Funesto nuncio in Italiam delato, Honorius Papa nulli labori pepercit, quo auxilia in Terram sanctam acceleraret. Anno sequente millesimo ducentesimo vigesimo secundo, relicta Urbe, Anagniniam venit, atque Imperator a Papa rogatus Verulos se contulit, ubi postquam dies quindecim mense Aprili consilia agitando consumsissent, statuerunt, Conventum frequentiore Veronæ ad Festum S. Martini celebrare, quo Principes Christiani tam Ecclesiastici quam Sæculares vocarentur, de re ingentis momenti, mittendis nempe in Terram sanctam supplementis deliberaturi, nam adhuc Fridericus Imperator nihil magis sibi curæ esse affirmabat. Papa ad hoc Colloquium Veronense invitavit Joannem Regem Hierosolymæ & Pelagium Episcopum Albanensem, in Oriente Legatum, cui Epistolam, Verulis vigesima quinta Aprilis anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo datam scripsit.

*Ric. S. Ger.  
an. 1222.*

*ap. Rainard.  
1222. n. 2.*

§. L.

*Ecclesia Latina in Cypro & Romania.*

Inter hæc ad aures Summi Pontificis pervenerat, non nullos Episcopos Græcos

Sæcul. XIII.  
A.C. 1222.

6. ep. 127.

cos in Insula Cypro Jurisdictionem sibi arrogare in illas Diœceses, in quibus Episcopi Latini a S. Sedis Legatis positæ fuerant. Rex Cypri Henricus Lusignæus, vel verius ejus Senatus, nam ipse necdum prætextam deposuerat, datis ad Papam literis rogaverat; concedere, Græcos ab Episcopis Græcis regi, et Romanæ Ecclesiæ non subjectis, ut sic concordia conservaretur. Cui Papæ respondit: id se nequaquam esse passurum, quandoquidem duo Episcopi in una Ecclesia monstrum exhiberent, haud aliter, quam si uni corpori humano duo capita imponerentur. Tum addit: *Quare Patriarchæ Hierosolymitano, & Archiepiscopis Tyriensi ac Cæsariensi præcipimus, ne hujusmodi Episcopos Græcos in illis Diœcesibus cum potestate Episcopali versari amplius sinant. Sed Presbyteris & Diaconis Regni Cyprensis districte injungimus, ut Archiepiscopo & Episcopis Latinis, ubi instituti sunt, obtemperent, & tanquam filii obedientiæ Ecclesiæ Romanæ, Matri suæ, obsequantur.* Hæc Epistola die trigesima Maji anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo data.

c. 9.  
Sup. Lib.  
LXXVII.  
§. 40.

Superius notavimus, in ultimo Concilio Lateranensi fuisse prohibitum, ne in urbibus, in quibus Latini cum Græcis permixti debebant, duo Episcopi essent, sed

sed statutum, ut Græci etiam Catholici, Sæcul. XIII.  
sua Nationis Vicarium haberent. A.C. 1222.

Robertus Imperator Constantinopolitanus ad Honorium Papam miserat Priorem S. Sepulchri urbis Constantinopolitanæ cum Epistola, cui Papa respondit in hunc ferme modum: *Gratias ap. Rainald. Deo diximus, quod, Joannis Cardinalis n. 14.*  
*S. Præcedis opera, materia antiquæ & scandalo plenissimæ inter Ecclesiam Constantinopolitanam & Imperium discordiæ sublata, pax solide reducta fuerit. At vices tuas paterno affectu dolemus, cum tam te quam Imperium undique ab inimicis fidei Orthodoxæ deprimi & affigi asseras. Quare omnes illos, qui contra te & Constantinopolitanum Imperium Græcis adhaeserint, ipsisque præstitervint auxilium & favorem, excommunicationis mucrone perculimus, & mandavimus, excommunicatos in civitatibus maritimis denunciari. Contra nobili viro Huberto Comiti de Blandraco & sociis ejus in subsidium Imperii tui proficiscentibus Indulgentiam, quam in auxilium Terræ sanctæ transfretantibus impertiri solemus, concessimus. Hæc Epistola vigesima septima die Junii anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo data est. Eadem quoque die literas eodem argumento ad Imperii Proceres scripsit Papa, etiam atque etiam eos omnes*

6. ep. 447.



Sæcul. XIII. omnes cohortatus, ut Roberto Regi ob-  
A. C. 1222. sequerentur, & ipsi animis conjuncti  
 essent. Quia vero inter hostes Latini  
 nominis Theodoro Comneno Epiri Prin-  
 cipe nemo ferocius imminebat, Papa dis-  
 tis ad eum literis monuit, hortatus est  
 ac rogavit, ut ad pacis perpetuæ fœde-  
 ra cum Roberto Imperatore paugenda  
 animum adjiceret.

7. ep. 374.

Cum graves querelæ ad aures Hono-  
 rii Papæ contra Mathæum, quem ad Di-  
 gnitatem Patriarchalem urbis Constanti-  
 nopolitanae evexerat, delatæ fuissent,  
 die decima septima Junii dedit ad eum  
 Epistolam in hunc ferme modum: *Mis-  
 sam rarissime celebras, cum excommuni-  
 catis communicas, pacta iniqua contra  
 alias nationes cum Venetis iniisse dico-  
 ris. Quos Legatus noster excommunicatis  
 absolvis, Appellationis ad Nos inter-  
 ctæ nulla tibi ratio est, monitum ergo te  
 volumus; ne nos ad destruendum in te  
 pus nostrum compellas. Sape tibi metipsum  
 & errata emenda.*

§. LI.

*Imperatores Græci Niceæ &  
 Thessalonica.*

*Niceph.  
 Greg. lib. 2.  
 c. 1.*

Hoc anno millesimo ducentesimo vige-  
 gesimo secundo, Theodoro Lascari  
 Imperatori Græcorum Constantinopoli-  
 tano,

tano, Niceæ sedem tenenti, postquam annos octodecim, capta Constantinopoli, imperasset, sine prole fatis functo, successit Joannes Ducas Vatacius, ejus gener, qui Theodori filiam Irenem uxorem acceperat. Joannes annum ætatis agebat vigesimum septimum, tribusque haud plus annis in solio sedit, Princeps rebus gerendis aptus, negotiis intentus, & propositi tenax, consilia amicorum explorabat, nihilque intentatum relinquebat, quo destinata exequeretur. Unde ipso imperante res Latinorum semper in pejus ruere visæ sunt. In alia Orientis parte Theodorus Comnenus, cum abesset Demetrius Rex Latinus Thessalonicæ, in Italiam profectus ad contrahenda auxilia, tempore usus, Thessalonica occupata, Imperatorem se appellari jussit, atque Archiepiscopo Thessalonicensi ei coronam imponere recusante, ab Archiepiscopo Acridano seu Locridano in Bulgaria, jam ab ætate Justiniani Imperatoris Primatum confuero, coronatus est. Ita Principes in orbe quatuor existebant, Robertus Cortenacensis, tunc urbis Constantinopolitane Dominus, Joannes Vatacius Niceæ, David Comnenus Trapezunte, & Theodorus Angelus Comnenus Thessalonicæ residens, Imperatoris Constantinopolitani nomine gloriabantur. Joannem

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

Georg.  
Acrop. n. 18.

Sup. Lib.  
XXXII.  
p. 50.

Hist. Eccles. Tom. XIX, Q9 Va-

Sæcul. XIII. Vatacium Imperatorem Manuel *Charitopulus* Patriarcha coronavit; nam Michaelis Autoriano defuncto, Theodorus Ironicus cognomento *Copas* die Dominica vigesima Septembris anno millesimo ducentesimo decimo quinto ordinatus fuerat. Ei, elapso sexennio, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, successit Maximus, Monachus Abbas Acemetarum, qui istud in Ecclesia fastigium feminarum in Regia dominantium favori in acceptis referebat. Verum tanto honori Maximus amplius quam mensibus sex superstes non fuit, eique Manuel *Charitopulus*, cognomento Philosophus, subrogatus est.

## §. LII.

*S. Engelbertus Germaniæ Rector.*

Anno millesimo ducentesimo vigesimo postquam Fridericus Imperator Henricum filium suum natu majorem in Comitibus Francofordiensibus Regem Romanorum salutari curasset, in Italiam profectus, eundem cum Vicarii potestate in Germania reliquerat. Quia vero necdum annos pueriles erat egressus, filii adolescentiam Principibus commendavit, eique Tutorem ac Imperio in Germania Moderatorem addidit Engelbertum, Archiepiscopum Coloniensem, cujus viri merita satis perspecta sibi habebatur.

*Alb. Stad.  
& Godefr.  
1220.*

*Sup. n. 37.*

bebat. Engelbertus, Imperii Principi- Sæcul. XIII.  
 bus Aquisgranum advocatis, die octava A. C. 1222.  
 Maji anno millesimo ducentesimo vige-  
 simo secundo, Dominica ante Ascensio-  
 nem, solemniter ritum juvenem Regem un-  
 xit, quem amabat ut filium, ac revere-  
 batur ut Regem; nam auctoritate, sibi Godef. 1222.  
 ab Imperatore commissa, non alio con-  
 silio, non alia mente utebatur, quam ut  
 in omnibus ordinibus regnaret Justitia.  
 Quod strenuo viro hinc odium impro-  
 borum, raptò vivere cupientium, inde  
 bonorum omnium, maxime mercato-  
 rum, benevolentiam & amorem conci-  
 liavit. Ad comprimendos Rebelles,  
 duos quos acceperat gladios, spirituales  
 tanquam Episcopus, & ferreum tanquam  
 Dux adhibebat. Ita Cæsarius mona-  
 chus ipsius vitæ Scriptor loquitur. A-  
 lios excommunicabat, alios armis fran-  
 gebat, nec enim a tempore S. Brunonis, Sup. Lib.  
 Imperatoris Ottonis I. fratris, Archiepi- LV. n. 43.  
 scopum Coloniensem alter Engelberto  
 potentior occurrit. Is multas ditiones  
 & multa Feuda, longo tempore Ecclesiæ  
 suæ subtracta, vindicavit, aliis rebus im-  
 mobilibus coemtis locupletavit, turre-  
 arces, aliaque ædificia magnifici plane c. 6.  
 operis extruxit. Aliquando viris Reli-  
 giosis, ipsum reprehendentibus, quod  
 vectigalia a populo exigeret, factum  
 excusans dixit; se sine auro pacem pa-  
 triæ

Qq 2

triæ

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

c. 8.

tria conservare non posse. Fame illam regionem anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto premente, cum nequidem numerata pecunia frumentum comparari posset, annonam coemit, atque ipso curante ex provincia Moguntina advectam in monasteria, in quibus maxime erat panis penuria, distribui iussit. Quippe Engelbertus viros Religiosos diligebat ac Præpositorum suorum loco honorabat.

c. 9.

Presbyteros quoque etiam pauperimos honore prosequabatur, quos de sua patina pascebat, & de poculo suo, postpositis Nobilibus sæcularibus, potabat. Cum non nulli Fratres novi Institutii Prædicatorum & Minorum Coloniæ venissent, & quidam ex Clericis eos laceffentes, varias querelas Engelberto Archiepiscopo exposuissent, ille respondit: *Quamdiu res bene cedit, sinite eos suo more vivere.* Atque eorum accusatoribus, viris in Capitulo Cathedrali dignitate præditis, & Parochis, instantibus: *Timemus, ne Fratres isti, illi ipsi sint, de quibus S. Hildegardis vaticinata est, futurum, ut opprimant Clericos, & salus Civitatis periclitetur, iterum Archiepiscopus: Si hoc vaticinium Deus adspirante editum est, quidquid contra moliamini, implebitur.* Quo responso jurgia compefcuit.

c. 7.

§. LIII.

§. LIII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

*Raimundi Senioris, Comitis Tolofani, obitus.*

In Occitania Albigenses, Simone Montfortio fatis functo, viribus superiores evaserant, Conrado Sacræ Sedis Legato nequicquam resistente. Is Præsul gente Germanus Eginonis Urachii Comitis de Seinen filius, Bertoldi Ducis Thuringiæ nepos, primo Præbenda ad S. Lambertum Leodii donatus est. Tum relicto hoc Beneficio, & blandæ spei Dignitates Ecclesiasticas consequendi generose renunciâns, Monachum in Abbacia Villariensi, Ordinis Cisterciensis, ejusdem Diocesis, induit. Conradus initio illius Monasterii Prior, tum anno millesimo ducentesimo nono Abbas ibidem, anno millesimo ducentesimo decimo quarto Abbas Claravallensis, & anno millesimo ducentesimo decimo septimo Abbas Cisterciensis fuit. Quem exacto deinde biennio anno millesimo ducentesimo decimo nono Honorius Papa, eximius viri dotibus exploratis, Cardinalem Episcopum Portuensem creavit. Eundem anno sequente millesimo ducentesimo vigesimo Legatum in Franciam contra Albigenses misit, cum mandatis; Episcopos & Principes ad reprimendos

*Ital. Sac. to. 1. p. 150.*

*Cæsar. dist. 3 c. 33.*

*Gall. Chron. to. 4. p. 943. &c.*

*Duchesne to. 5. p. 773. epist. ap. Rain. an. 1221. n. 41.*

Sæcul. XIII. Hæreticorum conatus excitaret. Quin  
 A.C. 1222. Papa Capitulis Ecclesiarum Cathedra-  
 lium vacantium prohibuit, ne Legato suo  
 inconsulto Episcopos eligerent. Hæc et  
 ejus Epistolis anno millesimo ducentesi-  
 mo vigesimo primo datis cognoscuntur.

6. ep. 395.  
 Raib. 1222.  
 n. 45.

Anno sequente Honorius Papa ad  
 Regem Franciæ Philippum literas exar-  
 vit in hunc modum: *Scire autem debet,  
 Fili carissime, quod secularis potestas  
 tenetur rebelles gladio materiali com-  
 primere, quos spiritualis gladius non  
 potest a sua malitia cobibere. Princi-  
 pum est, purgare improbis hominibus  
 terras suas, ad quod etiam, si negligen-  
 tes extiterint, a S. Ecclesia possunt com-  
 pelli. Excellentiam igitur tuam decet,  
 si honori & saluti tuæ consultum cupis,  
 Hæreticos de Regno tuo celeriter ejicere,  
 ne terras, quas adhuc tenent Catholici,  
 in illis provinciis amittant, & pestis  
 illa, quod timendum est, regiones etiam  
 propinquas corripiat. Quare Excellen-  
 tiam tuam rogamus vehementius, & ex-  
 hortamur in Domino, quin etiam in re-  
 missionem peccatorum tuorum injungi-  
 mus, Regia potestate occupa totam ter-  
 ram, quam Comes Montfortius, tan-  
 quam Feudum tuum in illis regionibus  
 tenuit, cum eam suis viribus tutari non  
 possit, eamque tibi jam prius, jure legit-  
 mo, per Episcopos Nemausensem & Bli-*  
 terre

terrensem, literas tuas, quas vidimus, Sæcul. XIII.  
 deferentes, obtulerit. Hæc Epistola die A. C. 1222.  
 decima quarta Maji anno millesimo du-  
 centesimo vigesimo secundo data est.

Interea Comes Raimundus, dictus  
 senior, quod filium haberet ejusdem no-  
 minis, quiete rerum potiebatur in Tolo-  
 sa urbe, ubi mense Augusto eodem an-  
 no millesimo ducentesimo vigesimo se-  
 cundo subita morte defunctus est. Illo  
 mane ad orandum processerat ad Bea-  
 tam Virginem vulgo *de Daurade*, & quia  
 a Communione Fidelium erat exclusus,  
 extra portam Ecclesiæ, ut solebat, per-  
 manserat. Rediit illuc pransus, quam-  
 vis dolores corpus premerent, tam infir-  
 mum, ut sine adjuvante surgere non pos-  
 set. Tum cum in quamdam domum  
 parochiæ S. Sernini divertisset, & aliquot  
 ficus comedisset, invalescente malo, mi-  
 sit de suis, qui Jordanem Abbatem S. Ser-  
 nini celeriter accerferent, ut ab eo recon-  
 ciliaretur Ecclesiæ, & Viaticum accipe-  
 ret; nam magnum dolorem, quod Com-  
 munionem Ecclesiæ privatus esset, profi-  
 tebatur. Verum ubi Abbas advenit,  
 Comitem vox defecerat; brachia tamen  
 porrexit, levatis in cælum oculis, ma-  
 nusque suas junctas inter Abbatis manus,  
 usque dum expiravit, tenens, sinceræ  
 contritionis signa edidit.

*Duchesne to.*  
*5. p. 773. G.*  
*de Pod.*  
*Laur. t. 34.*  
*Catel. Comt.*  
*p. 317. Bern.*  
*Guid. p. 43.*



Sæcul. XIII. Annis abhinc quatuor Comes Raimundus  
 A. C. 1222. mundus Ordini Hospitaliariorum S. Joannis Hierosolymæ, qui Tolosæ domum  
*Catel. p. 318.* habebant, nomen dederat. Ubi ergo inaudierunt, Comitem cum morte lectari, adproperant, ac aliquis eorum Pallio Ordinis eum operit, quod cum removere alii vellent, Raimundus manibus retinuit, Crucem assutam devotè exosculans.

Postquam animam egisset, Abbas S. Sernini elata voce dixit, pro eo orandum esse ab omnibus, servaturus sibi defuncti corpus, quod in parochia sua obijisset. At Fratres Hospitalarii illud in Ecclesiam suam S. Joannis, ubi sibi sepulchrum vivus delegerat, deportarunt. Non ausi sunt tamen eidem Ecclesiasticæ sepulturæ honorem exhibere, quod excommunicationis censura constructus decessisset; sed ejus ossa arcule lignæ inclusa in Cæmeterio relicta sunt, ubi elapsis exinde annis trecentis conspiciebantur. Raimundus VII. dictus Junior parenti in Comitatu Tolosano successit, annos natus viginti quinque, bellumque adversus Amalricum Montfortium, qui etiam titulum Comitis Tolosani usurpabat, profecutus est.

§. LIV.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1222.

*Jordanes Fratrum Prædicatorum  
Minister Generalis.*

Fratres Prædicatores hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Parisiis, ut convenerat, Capitulum suum Generale ad Festum Pentecostes, in diem vigesimam secundam Maji incidens, celebrarunt. In quo, ut in primum Ordinis locum, S. Dominici obitu vacantem, alius sufficeretur, Magister Generalis electus est Frater Jordanes Saxo, non obstante, quod necdum super annos duos dimidius effluxisset, ex quo Ordini adscriptus fuerat. Is Ordini propagando totus incubuit, maxima cura viros huic Instituto idoneos exquirens. Hinc ferme semper in illis civitatibus morabatur, in quibus celeberrimæ florebant scholæ, & more suo alterius anni quadragesimam Parisiis, alterius sequentis Bononiæ transigebat. Nam istæ civitates quasi Ordinis Seminaria erant, unde Jordanes viros Religiosos in diversas provincias transferebat. Ubi in alterutram harum urbium perveniebat, multas tunicas novas parari jubebat, Divinæ Providentiæ confusus, Deo dirigente totidem Fratres Novitios aditum ad Ordinem petituros; & ecce sæpe tot fores pulsarunt,

vit. S. Dom.  
per Theod.  
lib. 6 c. 1.  
vit. B. Jord.  
ap. Boll. 13.  
Febr. to. 4.  
p. 721. 726.

**Sæcul. XIII.** runt, ut confectæ tunicæ non sufficerent. **A.C. 1222.** Sæpe Bibliam suam creditoribus pignori dedit, quoad debita Scholasticorum Ordinem amplectentium, expuncta fuissent. Ejus sermonibus tanta vis tantaque elegancia inerat, ut studiosorum eum auscultantium aviditas, sive publice, sive in Collationibus spiritualibus diceret, satiari non posset. Quamobrem quando Parisiis commorabatur, semper Jordanes perorabat ad Fratres, aut si alius verba fecisset, ubi studiosi Jordanes adesse sciebant, ægre moveri poterant, ut discederent, nisi & ipse, postquam illi conticuissent, saltem exhortationem brevem adjecisset.

**Theod. VI.** ad suscipiendum Prædicatorum Ordinem impulit. **c. 2.** Sincere autem convertentibus, & Tyrones omnibus viribus stragebant, perfectam cordis puritatem adipisci. Accurate confitebantur peccata sua, ac intimos conscientia suæ recessus scrutabantur, ut etiam levissimas maculas eluerent. Quidam combatentibus quotidie, & quidem ter, matutinis vespere & in meridie, aut toties quoties

conscientia aliquod erratum exprobra-  
bat (\*). Ad repellendas tentationes, &  
minimos rebellium sensuum motus sem-  
per intenti, iis vel paululum cedere tur-  
pe putabant. Nulla amplius apud eos  
illorum negotiorum, quibus aliquando  
impediti fuerant, aut voluptatum, quas  
in sæculo degustaverant, memoria su-  
pererat, sed unica cura, peccata sua plan-  
gere, corpus spiritui subicere, & Deo  
simpliciter inhærere. Cumque pensa-  
rent Instituti sui puritatem & pulchri-  
tudinem, id solum dolebant, quod tan-  
tam felicitatem tam sero amplexi essent.

Tyrones solícite in Disciplina insti-  
tuebantur, simulque corporis valetudini  
providebatur, quippe tanto fervore age-  
bantur, ut moderamine opus esset. Non  
indigebant monitore, qui dormientes ad  
officium chori excitaret, sed sub noctem  
in diversis angulis quærendi erant, ubi  
prolixè orabant, & ad capiendam quie-  
tem nocturnam compellendi. Silen-  
tium strictissime a Completorio usque ad  
Tertiam servabatur. Post Completo-  
rium flagellis se cædebant. Post Offi-  
cium nocturnum, plerique reliquum no-  
ctis orando consumebant. Quamvis  
vero

Sæcul. XIII.  
A.C. 1222.

c. 3.

Fratres Præ-  
dicatores.

c. 4.

(\*). Quæstio hic discuti possit, an hi Pen-  
itentes & Confitentes toties etiam Absolutio-  
nem Sacramentalem acceperint.

Sæcul. XIII. vero frugali mensa omnes uterentur, & tra n  
 A.C. 1222. liquorum tamen abstinentia singularis reba  
 notabatur; nam non nulli integro octu cryn  
 duo nihil potus sumebant, alii cibo fini di M  
 apposito frigidam affundebant, ut sapa salut  
 rem corrumperent. Complures sub vo me  
 ste Ordinis, aliunde rigida, cilicia aut trum  
 cingula ferrea gerebant. Alter alteri dori  
 omnis generis obsequia exhibere gestio nos  
 bat, mira caritate. Castitatem impetu tur,  
 se colebant, atque aliquis ex eorum Pres mifi  
 byteris testatum faciebat, quod intra S. D  
 breve temporis spatium Confessionem de e  
 generalem centum Fratrum audivisset, noni  
 qui Virginitatem illibatam servaverant dum  
 Nec mirum, quoniam singulari devotio temp  
 ne Sanctæ Virgini addicti erant. accip

c. 5.

c. 6.

c. 7.

Prædicationem pro salute animarum lam  
 tanquam Instituti sui fundamentum ptin  
 mabant, & aliqui, fervidi quidem sed tur.  
 simplices, cibum non ante cupiebant, rio,  
 quam Verbum Dei saltem uni mortali Can  
 lium annunciaissent. Eorum sermones mer  
 erant ornatu destituti, sed ex ardenti just  
 animo profecti, Deusque scientiæ defec mat  
 ctum supplebat, verbis eorum tribuens con  
 efficaciam, qua plurimi auditorum mo  
 vertebantur. Exeuntes ad prædicand præ  
 dum nihil portabant nisi Evangelium ni ce  
 S. Mathæi & septem Epistolas Canoniz an  
 cas, ut S. Dominicus jusserat. Quoties Con  
 in Capitulis Generalibus profectio ul  
 tra

tra mare, aut ad Barbaros, Fratribus offer-  
 rebatur, permulti humi prostrati & lacry-  
 mis perfusi rogabant, ut ad hujusmo-  
 di Missionem adhiberentur; usque adeo  
 salutis animarum & Martyrii desiderio  
 movebantur. Hæc erat illa ætate Fra-  
 trum Prædicatorum vita, referente Theo-  
 dorico de Apoldia, qui, exinde post an-  
 nos ferme sexaginta scribens, quereba-  
 tur, quod primus fervor jam multum re-  
 misisset. At Jacobus Vitriacus, ipsi  
 S. Dominico & Beato Jordani coævus,  
 de eorum Discipulis, quos Canonicos Bo-  
 nonienses vocat, loquitur in hunc mo-  
 dum: *Hi Fratres, abjecta omni rerum  
 temporalium cura, non plus eleemosynæ  
 accipiunt, quam sobrie viventibus in il-  
 lam diem necessarium est. Ter in se-  
 ptimana carnibus vescuntur, si apponan-  
 tur. Manducant in communi Refecto-  
 rio, in Dormitorio cubant, & Officium  
 Canonicum in Ecclesia decantant. Nu-  
 mero Studiosorum Bononiensium adscripti  
 sunt, aliquis eorum quotidie Fratribus  
 materiam ex SS. Literis prælegit, & ipsi  
 omnibus diebus Festis, auctoritate a Sum-  
 mo Pontifice accepta, Verbum divinum  
 prædicant, vitam Canonicam prædicatio-  
 ni conjungentes. Magno ardore salutem  
 animarum quærunt, atque hæc Sancta  
 Congregatio in dies augetur.*

§.LV.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1222.*Hist. Occid.*  
c. 27.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

§. LV.

*S. Raimundi de Pegnafort  
Exordia.*

*vit. ap. Boll.  
7. Jan. to. 1.  
p. 408.*

Eodem anno millesimo ducentesimo  
gesimo secundo Institutum Fratrum  
Prædicatorum suscepit S. Raimundus  
*Pegnafort*, ingens Ordinis ornamentum  
& Magister tertius Generalis futurus  
Is Barcinone natus ex nobili familia in  
literis ita profecit, ut ubi ad annum æta-  
tis vigesimum pervenisset, Artes libera-  
les gratis in eadem civitate docuerit.  
Tum Bononiam delatus, cum ibi Jun-  
Canonico & Civili egregiam operam  
navasset, Doctor creatus est, & prælegit  
Jura Ecclesiastica, initio quidem nullam  
a Discipulis mercedem accipiens. Post-  
quam vero Senatus Bononiensis pen-  
sionem assignasset, Raimundus ejus Deci-  
mam parrocho suo bona fide dedit. Jam-  
que hoc munere aliquot annis functus  
erat, ac ejus doctrinæ fama in Italiam  
totam pervolaverat, cum Berengarius  
Episcopus Barcinonensis ex itinere Ro-  
mam suscepto Bononiam divertens, &  
Raimundi dotibus captus, ab eo summi-  
s precibus impetravit, ut Barcinonem re-  
diret. Quo deductum paulopost Cano-  
nica Præbenda & Archidiaconi Dignita-  
te in Ecclesia sua auxit. Viri pietas

modestia, ceteræque virtutes effecerant, <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 ut maximi haberetur ab omnibus, inpri- <sup>A. C. 1222.</sup>  
 mis vero ab Episcopis & Proceribus.  
 Verum ubi vitæ rationem Fratrum Præ-  
 dicatorum, nuper in urbem Barcinonem  
 admissorum, cognovit, eo Instituto mi-  
 re delectatus, relictis omnibus illud am-  
 plexus est, vestemque Ordinis induit in  
 Feria VI. quæ erat Parasceves, prima A-  
 prilis, anno Domini millesimo ducente-  
 simo vigesimo secundo, ætatis suæ circi-  
 ter quadragesimo quinto.

Raimundi exemplum complures vi-  
 ros tam doctrina quam Natalibus incly-  
 tos ad sequelam pertraxit, unde Ordini  
 Prædicatorum Barcinone haud modicum  
 incrementum accessit.

§. LVI.

*Concilium Oxoniense.*

Reditabat Angliæ quies, turbis tandem  
 compositis, quibus, regnante Joanne  
*sine terra*, agitata fuerat. Atque ut  
 Disciplinam Ecclesiasticam quoque re-  
 verberet Cardinalis Stephanus Langtonius  
 Archiepiscopus Cantuariensis Sacræ  
 Sedis Legatus Concilium in Monasterio  
 Osnicensi prope Oxonium, ad Festum  
 S. Barnabæ, quod in diem undecimam  
 Junii incidit, celebravit. Fuit vero Con-  
 cilium totius Angliæ Generale, in quo  
 Canones quadraginta novem conditi,  
*Math. Par. & M. West-  
 mon. 1222.  
 to. 11. Conc.  
 Con. p. 270.*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1222.

Constitutionibus ultimi Concilii Lateranensis consentanei, quibusdam aliis Statutis adjectis. Canones nomine Archiepiscopi eduntur, sed addita discrete clausula, ista tum auctoritate tum approbatione Concilii decerni.

6. 1. 12.

In primo Canone generatim excommunicantur Ecclesiasticorum jurium perturbatores & Regni, perjuri, calumniatores, alique delicti infamis reus.

6. 2.

Tum officia Episcoporum memorantur, & monentur Antistites; horis competentibus pauperum querelas audiant, in persona propria confitentes audiant, in Ecclesiis suis Cathedralibus saltem Majoribus Festis & aliqua parte Quadragesimæ resideant, formam suæ Professionis in sua Ordinatione prolatam bis in

6. 4.

anno coram se legi jubeant. Episcopi Beneficia præsentatis conferre ultra duos menses non differant. Quod non nulli

6. 6.

avaritiæ causa faciebant. Nullus Sacerdos Missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, vel in Exequiis defunctorum, præsentate funere, in quo casu Presbyter ablutionem post primam Missam non sumat. Duæ Missæ in Paschate, ut conjicere licet, erant, illa nocturna, quam in Sabbato celebramus, & altera ipsius Festi. Et forte ambæ Missæ continuo tempore celebrabantur, quod

quod in Festo Nativitatis Domini sole-  
mus.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

Festa deinde enumerantur, quæ omni  
veneratione servantur. Ac inter alia,  
omnia Festa Beatæ Virginis, excepto Fe-  
sto Conceptionis, quam celebrandi ne-  
cessitas non imponitur. In Hebdoma-  
da Paschali non solum dies Lunæ & Mar-  
tis, sed etiam dies Mercurii, Feriæ sint.  
Festum S. Augustini in mense Majo cele-  
bretur. Est hic Apostolus Angliæ, cujus  
memoria vigesima sexta hujus mensis  
colitur. Præterea S. Thomæ Cantua-  
riensis Translatio, quæ annis abhinc duo-  
bus, videlicet postridie Octavæ S. Petri,  
septima Julii, anno millesimo ducente-  
simo vigesimo, Honorio Papa, edita Bul-  
la, jubente, peracta erat, celebrari præ-  
cipitur. Ante biennium enim Stepha-  
nus Archiepiscopus, Rege, & cunctis fer-  
me Episcopis, Præsulibus, Regni proce-  
ribus, multis Præsulibus Franciæ alia-  
rumque Regionum præsentibus, corpus  
S. Thomæ, ex sepulchro marmoreo, in  
quo annis quinquaginta quieverat, ex-  
promptum, in arcam auream gemmis or-  
natam transposuerat. Festis recensitis,  
Concilium Oxoniense Vigiliis seu dies  
jejunii statuit, & inter alia præcipit, ut  
tota hebdomada ante Natalem Domini  
jejunetur.

c. 8.  
*Sup. Lib.*  
*XXXVI.*  
§ 55.  
*Math. Par.*  
*an. 1220.*  
*M. Vespim.*  
*eod.*  
*Ep. S. Tho.*  
p. 883.

*Hist. Eccles. Tom. XIX.*

R r Vi-

Sæcul XIII.

A.C. 1222.

- Vicariis perpetuis ad minus reditus quinque marcarum assignentur, nisi forte in illis partibus Walliæ, in quibus Vicarii minori stipendio sunt contenti.
6. 16. In quolibet Archidiaconatu Episcopus Decanis ruralibus, Parochis & Presbyteris Confessarios constituat; sed in Ecclesiis Cathedralibus Canonici Episcopo, aut Decano, aut viris ab Episcopo & Capitulo designatis confiteantur. Ergo non licebat, cuicumque vellent Presbytero confiteri. Judices, quales sunt Archidiaconi & Decani Rurales, Partium litigantium amicam Transactionem non prohibeant, nec ideo aliquam poenam eis infligant.
6. 18.
6. 30. Beneficia Ecclesiastica possidentes in Fundis Laicalibus domos non extruant, quo Beneficiorum suorum fructus rependant, necessitati pauperum designatos. Videlicet hujusmodi deposita nepotibus suis vel filiis, vel concubinis servabant.
6. 37. Viri Religiosi Officiis vacantes, & Præpositi, bis in anno Congregationi rationem reddant, quantum acceperint, & quantum expenderit. Nec Moniales nec Religiosi zonas sericas habeant, nec auri vel argenti ornamenta addant.
6. 38. Vestes nec ex pannis pretiosis nec nimis longæ sint. Pecunia Religiosis ad comparandas vestes non detur. In uno loco
6. 43. 45.

dormiant, singuli lectos suos habentes. Sæcul. XIII.  
 In Refectorio omnes comedant, nec ul- A. C. 1222.

lus aliquid singulare sibi expetat. Non  
 exeant piæ peregrinationis causa, nec ad  
 6. 44.  
 invisendos propinquos suos, & sine licen-  
 tia Præpositi sui unquam pedem efferant.  
 Non suscipiatur monachus infra annum  
 ætatis suæ decimum octavum. Nume-  
 rus Monialium facultates Monasterii non  
 superet, nec patiantur Episcopi, ut plu-  
 res recipiant. Illi Sacerdoti confitean-  
 tur, quem eis Episcopus præposuerit.  
 Hæc mihi in hoc Concilio Oxoniensi præ-  
 ceteris notatu digna visa sunt.

Paucis diebus antequam celebrare-  
 tur, captus est quidam sycophanta, qui  
 vulnera quinque Crucifixi Domini no-  
 stri in manibus, pedibus & latere circum-  
 ferebat. Is publice in ipso Concilio  
 propria confessione convictus, secundum  
 iudicium Ecclesiæ pœnas dedit (\*).

R r 2      §.LVII.

In Notis ad Acta subjungitur: *In eodem  
 Concilio damnatum fuisse, quemdam, qui vulne-  
 ra quinque Crucifixionis gestaret in latere, pe-  
 ditibus, manibusque, referunt Mathæus Westmo-  
 nasteriensis in Florib. Historiæ, & Bzovius ad  
 annum millesimum ducentiesimum vigesimum se-  
 cundum n. 20. ex M. S. Vaticano. Ceterum  
 hunc Præstigiatores secundum iudicium Eccle-  
 siæ in quoddam Monasterium ad agendam per-  
 petuo pœnitentiam fuisse detrusum credidero.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1222.

§. LVII.

*Cædes Episcopi in Scotia.*

In Scotia exorta lite inter Episcopum Cathenensem seu Dornocensem ejusque Diocesanos de Decimis ac quibusdam aliis Ecclesiæ suæ juribus, res ad Regem delata, & quorundam virorum Ecclesiasticorum opera composita est. At ecce Episcopo ad propria redeunte, Diocesani acrius commoti, quod contra ipsos Ecclesiæ suæ causam strenue egisset, in eum irruunt, atque vestibus spoliatum, cæsum, lapidatum, bipenni ad mortem vulneratum, tandem in coquina propria, ejus interitus avidi, concremant. Interea Rex Scotiæ in Angliam proficiscebatur, gravia Regni sui negotia transacturus, jamque ad extrema Ditionis suæ pervenerat, cum patratum scelus inaudit. Tunc vero dolore obrutus, dilato itinere, & contracto exercitu, ad perdendos malos se accinxit. Episcopi autem Scotiæ, datis ad Honorium Papam literis, tetrum facinus retulerunt, rogantes, ut Regem hortaretur, ne immanes paricidas relinqueret impunitos. Papa itaque, dilaudato Regis fervore pro libertate Ecclesiæ, eum ad persequendum Episcopi interfectores excitavit. Præcepit etiam Episcopis, ut paricidarum & omnium consciorum terras

ras Interdicto Ecclesiastico ferirent. Hæc Sæcul. XIII.  
 omnia ex Epistola Pontificis, ad Episco- A.C. 1223.  
 pos Scotiæ die decima tertia Februarii  
 anno millesimo ducentesimo vigesimo 7. ep. 75.  
 tertio Romæ data, cognoscimus. Rain. 1223.  
 n. 50.

§. LVIII.

*Friderici & Regis Hierosolymæ  
 fœdus.*

Colloquium, quod Honorius Papa in  
 causa Belli sacri ad Festum S. Mar- Ric. de  
 tini hoc anno millesimo ducentesimo S. Ger.  
 vigesimo secundo Veronæ celebrandum  
 indixerat, non prius quam anno sequen-  
 te Ferentini in Campania habitum est.  
 Adfuerunt Fridericus Imperator, ex Si-  
 cilia regno suo advectus, Joannes Rex  
 Hierosolymæ, qui cum Patriarcha mare  
 trajecerat, Episcopus *Betlebem*, Magi-  
 ster Hospitalariorum, Præfectus Templi,  
 Magister Equitum Teutonicorum, mul-  
 tique alii ex diversis Regionibus viri.  
 Papa quoque, etsi crure altero male af-  
 fecto, Roma advenit. Postquam igitur  
 de negotio sacræ profectionis diu mul-  
 tumque deliberatum, promisit Impera-  
 tor, se a Festo proximo S. Joannis intra  
 biennium, nempe intra annum millesi-  
 mum ducentessimum vigesimum quin-  
 tum, in Terram sanctam iter esse  
 suscepturum, promissumque jurejuran-

R r 3 do

Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

Alb. Stad.  
an. 1222.

7. ep. 176. ap.  
Rain. 1223.  
n. 1.

do confirmavit, atque ut istud pactum multo magis ratum esset, ad illud quoque publice & edito jurejurando se obstrinxit, quod Jolandam, Regis Hierosolymæ filiam, tori consortem accepturus esset, quandoquidem Constantia Imperatrix Friderici uxor anno superiore e vita decesserat. Papa, data ad Philippum Regem Franciæ Epistola, quæ in hoc Colloquio acta essent, retulit, exhortans ad succurrendum Terræ sanctæ sua conferret, subditosque suos mitteret, quibus filiorum suorum alterum expeditionis Ducem daret. Duos enim habebat, Ludovicum, qui parenti successit, & Philippum, dictum Comitem Claromontanum. Similes literas Papa ad Regem Hungariæ, Regem Angliæ aliosque dedit.

§. LIX.

*Patriarchæ Alexandrini ad Papam  
Epistola.*

Chron.  
Orient. p.  
118.  
Vanslep.  
p. 325.

Sub idem tempus Epistola Nicolai Patriarchæ Alexandrini Honorio Pontifici redditur, quam aliquis de familia Regis Hierosolymæ attulerat. Nicolaus Patriarcha Melchita sine dubio fuerit, nam Sedes Coptorum seu Jacobitarum vacabat post obitum Joannis, Abibala filii, ex illis Patriarchis numero septuagesimi quarti, in Festo Epiphaniæ, die sexta

Sexta Januarii, anno Diocletiani nongen-  
 tesimo trigesimo secundo, Jesu Christi  
 millesimo ducentesimo decimo sexto, fa-  
 tis functi, quo elato illa Cathedra plus  
 quam annos decem & novem vacua exti-  
 tit. Ceterum Nicolai Patriarchæ Epi-  
 stola ad Honorium Papam scripta est no-  
 mine omnium Clericorum, omniumque  
 in Ægypto Christianorum, quorum ex-  
 tremam calamitatem commemorat in  
 hunc modum: *Equum in domibus no-  
 stris habere non audemus, nec mortuos  
 nostros cum Cruce per civitatem por-  
 tare. Si aliqua Christianorum Ecclesia  
 forte ceciderit, collapsam erigere non au-  
 demus. Centum & quindecim Ecclesiæ  
 nostræ, capto Pelusio, destructæ sunt.  
 Quilibet in Ægypto Christianus jam an-  
 nis quatuordecim & supra tributum Bi-  
 zantini aurei pendere cogitur; si autem  
 pauper est, in carcere detinetur, donec  
 totum debitum præstiterit. Hæc pen-  
 sio singulis annis centum millia Bizan-  
 tinorum aureorum, moneta Cairensis,  
 in Saracenorum ævarium confert. Un-  
 de quantus in Ægypti terra Christiano-  
 rum numerus sit, aestimare licet. Ad  
 omnia sordida opera, & purgandas civi-  
 tatis plateas Christiani mittuntur. Mi-  
 serere itaque, Domine, miserere nostri!  
 sicut Sancti expectabant adventum Jesu  
 Christi, ita expectamus adventum filii*

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1223.

ap. Honor.  
 VIII ep. 14.  
 ap. Rain. n. 9.

R r 4      vestri



Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

*vestri Imperatoris, nec nos solum, sed etiam plus quam decem milia Apostatarum, qui per terras Saracenorum dispersi sunt. Saraceni quoque, Ægypti Domini ante Saladinum, vestrae Sanctitati supplicat, ut celeriter Principem mittas, quia tota terra Ægypti vestra est. Tum in illa Epistola adjunguntur monita, quæ viam tutam Imperatori, in Ægyptum appulso, indicant.*

§. LX.

*Philippi Augusti obitus.*

*Math. Par.  
1223.*

*G. Brito.  
Philipp.  
lib. 12.*

**J**oannes Briennius Rex Hierosolyma cum Magistro Hospitalariorum in Angliam trajecit, auxilia ad vindicandam Terram sanctam petiturus. Ad Octavam S. Petri, nempe prima hebdomada Julii in illud Regnum devectus, inde in Franciam rediit, ubi Philippi Regis Augusti, exequiis interfuit. Nam Philippus, annum vitæ agens quinquagesimum septimum, & Regni sui quadragesimum tertium, jam integro prope anno quartana fatigabatur, quæ tandem in febrem continuam mutata est. Cum Paciaci esset prope Ebroicum, inde repugnantibus medicis viæ se commisit, Concilio in causa Albigenisium Parisiis celebrando interfuturus, quod Cardinalis Conradus Episcopus Portuensis, S. Sedis in Francia Legatus, convocaverat; id enim

apparet ex ejus Epistola ad Archiepiscopum Rotomagensem ejusque Suffraganeos data, in qua dicit: *Quæ vidimus annu-  
ciamus. Antichristus jam bodie Præcurso-  
rem habet, quem Albigenes Pa-  
pam suam appellant. Is in finibus Bul-  
gariæ, Croatiæ & Dalmatiæ stabula-  
tur, Albigenium Oraculum, quod in  
causa communi consulunt. Quidam no-  
mine Bartholomæus, natus Carcaffona,  
Episcopus Hæreticorum, & Antipapa  
hujus Vicarius, ut venerationem suam  
profiteretur, loco, qui vulgo PORLOS  
dicitur, cessit, ac in Ditionem Tolosa-  
nam divertit. Nunc vero undique lite-  
ras spargit, cum epigraphæ: Bartholo-  
mæus, servus servorum sanctæ Fidei, tibi  
salutem! Idem Episcopus creat, & Ec-  
clesias regere præsumit. Rogamus te i-  
gitur, & Summi Pontificis nomine præ-  
cipimus; infra Octavam S. Petri in ur-  
be Senonensi præsto sis, quo alii quoque  
Franciæ Antistites convenient, nos in  
hac causa, & in omnibus, quæ ad Albi-  
genes pertinent, suo consilio adjuturi.  
Hæc Epistola, ut conjicere licet, ency-  
clica erat, atque ad alios etiam Episco-  
pos missa. Ceterum haud diu post Hære-  
ticorum Antipapam fata abstulerunt (\*)*.

R r 5 Cre-

(\*) Wer wird alle Gegenpäbste und ange-  
nomme

Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.  
to. II. Conc.  
p. 288.

ap. M. Paris.  
an. 1223.

Sæcul. XIII.

A.C. 1223.

*Elog. to. 2  
ap. Mabill.  
p. 603.*

Credibile est, hoc Concilium in gratiam Philippi Regis, interesse cupientibus Senonibus Parisios fuisse translatum. Paciaco ergo excessit, Lutetiam petirus, sed proficiscentem vetus febris

*\*Histoire des  
Variations  
Ec.*

nommene Oberhäupter zählen, welche von dem römischen Stuhle abtrünnige Christen dem Papste haben entgegen setzen wollen? Sie haben aber weder ein anders Oberhaupt, als Christus der Herr bestimmt hat, noch eine Gemeinde oder Kirche, welche die nothwendige Eigenschaften der wahren Kirche Christi an sich hätte, bis auf diesen Tag aufrichten können. Wir wollen den berühmten Bossuet hören, da er in seiner Vorrede in XXIV. Abschnitte also redet\*. Ich will die Worte Kürze halber also gleich deutsch geben. Es ist nur eine einzige Streitfrage, deren Geschichte ich im letzten Buche abgehandelt, nämlich von der Kirche. Fürwahr eine wichtige Frage, und welche allein alles entscheiden könnte, wenn sie nicht in den Büchern der Protestanten eben so verworren vorgetragen würde, als sie in sich selbst klar und deutlich ist. . . . Endlich kommt alles darauf an, daß man zeige, wo denn die Kirche vor der Reformation gewesen? Und natürlicher Weis muß solche nach dem gemeinen Begriff aller Christen sichtbar vorgestellt werden. Wie solches auch die Protestanten zu erst in der Augspurgischen und Strassburgischen Confession gethan. . . .

vis caloribus magis accensa Meduntæ Sæcul. XIII.  
 herere coegit, ubi die decima quarta A.C. 1223.  
 Julii anno millesimo ducentesimo vige-  
 simo tertio, accepto Viatico, obiit. Ut Rigord. p. 96  
 primum morbo se corripit mense Septem-  
 bri anni superioris senserat, res ad con-  
 scientiam spectantes solcite composuit,  
 condiditque Testamentum, in quo ad  
 resarcienda damna, quibuscunque de-  
 mum illata, quinquaginta millia libra-  
 rum, Parisiensis ponderis, seu viginti  
 quinque millia marcarum argenti, si mar-  
 ca

Nachdem man aber weder eine kleine noch  
 große, weder geheime noch offenbare, sicht-  
 bare protestantische Kirche, so viele Jahr-  
 hundert hindurch, hat erweisen können, hat  
 man sich protestantischer Seits mit der Ein-  
 bildung einer unsichtbaren Kirche behelfen  
 wollen, und da man wiederum bald erkannt,  
 daß eine unsichtbare Kirche eine mit der  
 Schrift und allgemeinem Begriff der Chri-  
 sten unvereinbarliche Chimæra sey, haben sie  
 auch diesen letzten Posten verlassen. Einige  
 Protestanten haben so gar die Fortpflanzung  
 ihrer Gemeinde in dem Pabstum selbst ge-  
 sucht.

So weit der Herr Bossuet: Wir haben auch  
 in unsern Anmerkungen öfter gesehen, daß Mos-  
 heim nirgend schwächer und untrüglicher ist, als  
 in der Antwort auf die Fr. ge? Wo war ener  
 Kirche vor Luther?

Sæcul. XIII.

A. C. 1223.

*G. Brito.*

p. 249.

*Duchesn.*

to. 5. p. 261.

ca quadraginta solidis æstimeretur, legatum decem millia librarum Ingeburgæ Reginæ, dilectæ conjugi suæ, & postea Legata, Regi Hierosolymæ tria millia marcarum argenti, Magistro Hospitii Templarij duo millia, & totidem Templarij trans mare militantibus. Præterea in auxilium Terræ sanctæ impendenda centum quinquaginta millia ac quingentæ marcas argenti. Tandem omnia, quæ testamento, scripta erant, Guarinus Episcopus Silvanectensis, Bartholomæus de Roye Franciæ Cubiculariis Præfectus, & Aimarus ærarii Templi Custos, exequi jussi sunt.

*Rigord. p. 67*

Philippi Regis corpus Parisios, & inde ad S. Dionysium delatum est. Regiis exequiis autem interfuere Archiepiscopi duo Guilielmus Remensis & Gualterius Senonensis, Episcopi viginti quinque, videlicet S. Sedis Legatus Conradus Cardinalis Episcopus Portuensis Pandolphus Episcopus Norwicensis in Anglia, ex Provincia Remensi Guilielmus Episcopus Catalaunensis, Milo Belvacensis, Gerardus Noviomensis, Anseacus Laudunensis, Jacobus Sueffionensis, Guarinus Silvanectensis, Pontius Atrebatensis, Godefridus Ambianensis. Ex Provincia Senonensi Gualterius Carnotensis, Henricus Antisiodorensis, Guilielmus Parisiensis, Philippus Aurelianensis,

r, legat  
 ngebun  
 post au  
 a mill  
 pitii Te  
 mplan  
 terea n  
 nda ce  
 ngent  
 a, qu  
 uariu  
 lomau  
 efectu  
 s, ex  
 fios, &  
 t. Ro  
 Archie  
 nsis &  
 viginti  
 s Con  
 uenit  
 nsis in  
 Guillel  
 lo Bel  
 nse  
 nensis  
 Attre  
 s. Ex  
 Carno  
 Gui  
 relia  
 nensis,

nensis, Petrus Meldensis, Rogerius Ni-  
 vernensis. Ex Provincia Rotomagensi  
 Robertus Bajocensis, Hugo Constanti-  
 nensis, Guilielmus Abrincensis, Guiliel-  
 mus Lexoviensis. Ex Provincia Nar-  
 bonensi Fulco Tolosanus. Hi nimirum  
 erant Præfules ad Concilium celebra-  
 dum congregati. Legatus Conradus,  
 & Archiepiscopus Remensis simul in dua-  
 bus aris proximis Missam funebrem ce-  
 lebrarunt, quibus ceteri Episcopi, Cle-  
 rici, Monachi, quorum innumerabilis e-  
 rat multitudo, tanquam uni soli cele-  
 branti respondebant.

## §. LXI.

*Episcopi Exequiis Regis Philippi  
 præsentis.*

Operæ pretium est, non nullos Episco-  
 pos, qui his Exequiis interfuerunt,  
 sigillatim commemorare. Archiepisco-  
 pus Remensis tunc erat Guilielmus de  
 Joinville, Godefridi, Prætoris Campa-  
 niæ, filius. Is primo Archidiaconi Re-  
 mensis dignitatem, deinde Episcopi Lin-  
 gonensis, ac tandem Archiepiscopi Re-  
 mensis, cujus possessionem die Domini-  
 ca, nona Junii, anno millesimo ducen-  
 tesimo decimo nono, adiit, consecutus,  
 anno sequente Fratres Prædicatores, Pa-  
 risiis a S. Dominico Remos missos, rece-  
 pit.

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1223.

Marlot. lib. 3  
 c. 26. 27.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1223.

Gall. Chron.  
to. I.  
G. Nangis  
an. 1222.

Sup. Lib.  
LXXVII.  
§. 24.  
God. p. 482.  
Hon. lib. 3.  
p. 54.  
Rain. 1218.  
n. 62.  
ap. Rain.  
1223. n. 6.

pit. Fratres Minores quoque, & Virgines Sanctæ Claræ, Guilielmo Sedem Remensem tenente, introductæ feruntur. Eidem Honorius Papa Sacræ Sedis Legati in Francia potestatem contulit, qua ad convertendos Albigenes uteretur. Hanc ille jam anno millesimo ducentesimo vigesimo primo acceperat. Ecclesiæ vero Remensi annis septem præfuit. Archiepiscopali Dignitate Ecclesiæ Senonensis tunc fulgebat Gualterius *Cornu*, Magister celeberrimus, Henrici Clementis, Franciæ Archiepiscopi, filius. Is Decanus erat Ecclesiæ Parisiensis, cum Archiepiscopus Senonensis, Petro Corbeliensi die tertia Januarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo, fatis functo, electus est. Gualterius in Cathedra Senonensi annis decem & novem sedit. Ecclesiam Norwicensem regebat Cardinalis Pandolphus Masca, qui, cum esset Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, pacis negotium inter Joannem Regem & Innocentium III. Papam solerter tractaverat. Ubi deinde Ecclesia Norwicensis anno millesimo ducentesimo decimo quarto, Joanne Grey defuncto vacavit, Pandolphus electus est, quem Papa Sacræ Sedis in Anglia Legati potestate, anno millesimo ducentesimo decimo octavo, auxit, atque demum anno millesimo ducentesimo vigesimo

gesimo secundo ordinatum, misit in Gal-  
 liam, ad Regem Philippum eo permo-  
 vendum, ut pacem cum Rege Angliæ  
 reduceret, vel saltem inducias proroga-  
 ret, & sic facilius auxilia in Terram fan-  
 ctam pervenirent. Episcopus Parisien-  
 sis erat Guilielmus Segnelacensis, qui in  
 Oppido S. Clodoaldi eodem anno mil-  
 lesimo ducentesimo vigesimo tertio in  
 Festo S. Clementis die vigesima secun-  
 da Novembris obiit, postquam in illa Ca-  
 thedra tres annos & dimidium sedisset.  
 Sedem Aurelianensem tenebat Philip-  
 pus *Berruier*, Turone natus, cujus ata-  
 vos maternus, generis nobilitate & vir-  
 tutibus clarus, postquam ipse conjux  
 in Monasterio Bellomontano se sacris vo-  
 tis obstrinxisset, Equitibus Templariis  
 nomen dederat. Ejus filius postquam  
 genuisset duas filias Flandrinam & Ma-  
 thæam, ambas virtutum splendore illu-  
 stras, & ipse Templariorum Institutum  
 amplexus, ad Magisterii totius Ordinis  
 culmen evehctus est. Mathæa Geraldo  
*Berruier*, S. Guilielmi, Archiepiscopi  
 Bituricensis, fratri, nuptui tradita, tres  
 filios in lucem edidit, Archambaldum  
 & Gervasium, qui paternum exemplum  
 secuti, militiam amplexi sunt, & accepta  
 Cruce se resque suas Terræ sanctæ  
 obsequio addixerunt, & Philippum, qui  
 se ab unguiculis Ecclesiæ addixit. Quip-  
 pe

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1223.

*Hist. Episc.  
 Ant. c. 56.*



Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

pe eum mater, elato viro, vidua ad Ecclesiam in Festo S. Gregorii deductum, cum Missam celebrari petiisset, suis manibus super Altare Deo obtulit. Philippus Lutetiæ scientiis operam dedit, pudicitiaë amantissimus, tumque Turonem reversus, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, tumque etiam Archidiaconus constitutus est; sed quia plurium Beneficiorum possessionem horrebat, Officium Cantoris in Ecclesia Cenomanensi sibi destinatum, rejecit. Quin etiam postea Archiepiscopatum Turonensem sibi oblatum repulit, Archidiaconatus officio contentus, cujus omnes partes explere, Verbum Dei prædicans, & vitæ rigidissimæ exemplum præbens, fastigabat. Manasse Segnelacensi, Episcopo Aurelianensi, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, rebus humanis erepto, hæc Ecclesia Philippum sibi Episcopum dari vehementer cupiebat, sed timebant plerique, ne eam recusaret, qui Archiepiscopatum Turonensem non recepisset. Attamen crediderunt, eum tunc juventutis suæ memorem tantum onus subire noluisse. Nec ipsorum aberravit conjectura, nam videns, se unanimi omnium suffragio ad Episcopatum Aurelianensem vocari, acquievit, atque, anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo, a Petro Corbeliensi Archiepiscopo

scopo Senonensi inauguratus est. Tum hanc Sedem annis quatuordecim obtinuit. Sæcul. XIII.  
A.C. 1223.

## §. LXII.

*Ludovicus VIII. Rex Franciæ.*

Philippo Regi Augusto defuncto Ludovicus VIII. filius ejus natu major, *G. Nang.* anno ætatis suæ trigesimo sexto, successit, ac Remis cum Regina Blanca uxore sua a Guilielmo Archiepiscopo, die sexta Augusti, anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio, unctus, annos tres & primenses quatuor Francis imperavit. Primam ad eum Honorius Papa die vigesima quinta Octobris dedit Epistolam, consolatoriam ob mortem patris, hortatus, ut defuncti virtutes, & inprimis ejus in Sacram Sedem devotionem imitaretur. Alteram deinde scripsit die decima quarta Decembris, eamque defendendam tradidit Simoni Sulliacensi Archiepiscopo Bituricensi, Hugoni de Montereugio Episcopo Lingonensi, & Guarino Episcopo Silvanectensi, Præsulibus Regi addictissimis, quorum primi duo tunc Romæ versabantur. Hujus Epistolæ Pontificiæ Summa est: *Cum omnes Principes Christiani de defensione Ecclesiæ, Matris suæ, rationem Deo reddere teneantur, grave tibi acidere ac indignum videri debet, quod Hæretici in* 1223.  
8. ep. 77.  
Rain. n. 36.  
ep. 135.  
Rain. n. 42.  
Duchesne  
to. 5. p. 857.  
858.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XIX. S s re-*

Sæcul. XIII. A.C. 1223. *regione Albigenſi, intra terminos regni tui, Fidem Chriſtianam manifeſte ac intrepide impugnant. Denique ſi poteſtates Sæculi raptores perſequuntur & fures, tu qui regni ſolium obtines, terram tuam ab Hæreticis, qui animas rebus omnibus pretioſiores furantur & rapiunt, non purgabis? Porro non obque dolore cordis & gravi mentis amiritudine videmus, omnes conatus ad extirpandam Hæreſim adhibitos bucuſque propemodum in caſſum cecidiſſe, latius diffundi virus, & timendum eſſe, ne inficiatur regnum tuum, ſingulari Dei Benedictione præ aliis in Fide fundatum & confirmatum, atque ita fore, ut, præcipua parte labante, tota Eccleſia non perſecutione turbetur. Quare hortamur te & obſecramus Principem Catholicum, ac Principum Catholicorum Succeſſorem, primitias Regni tui Deo offerre, & cauſam Jeſu Chriſti defendendam ſuſcipere, ſecurus, auxilium Eccleſia Romana non ſpirituale modo, ſed etiam temporale nunquam tibi defuturum. Ceterum quia compertum nobis eſt, Amalricum Comitum Tolofanum quidquid juris in Comitatu Tolofano habet, tibi offerre, Ditionibus tuis jungendum, rogamus te, ut recipias, eo fruaris & in Succeſſores tuos transfundas. Tibi enim ignotum non ſit, Raimundum ejusque filium, ſpre-*

*tis nostris monitis, in malo contumaciter obfirmatos, jam diu a nobis anathemate fuisse confixos.* Honorius Papa, cum hæc scriberet, adhuc mortem Raimundi senioris nescivisse videtur.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

§. LXIII.

*Regula Fratrum Minorum confirmatur.*

Sub idem tempus Honorius Papa *Regulam Fratrum Minorum, Bulla die vigesima nona Novembris anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Pontificatus sui octavo, in formæ authentica data, confirmavit.* Nam S. Franciscus videns, quam late Ordo suus propagaretur, credidit sibi curandum esse, ut Honorius Papa Ritu magis solemniori Instituti sui rationem confirmaret, quam Innocentius non nisi viva voce approbasset. Ista cogitanti per quietem quædam revelatio ostensa est. Videbatur sibi, minutissimas panis micæ e terra collegisse, quas compluribus Fratribus, fame pressis, & se circumstantibus, distribueret, ac cum timeret, ne micæ istæ ob tenuitatem e manibus suis elaberentur, vocem audire ex alto: *Francisce! ex omnibus his micis unam hostiam fac, & de ea manducaturis porrige.* Fecit, quod juebatur, omnesque, qui particulam

Ss 2

culam

Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

culam suam haud ea qua par erat devotione accipiebant, aut acceptam contemnebant, leprâ infecti conspiciebantur. Ut illuxit, Fratribus visum narravit, tristis, quod Mysterium non caperet. Die vero sequente vocem de Cælo allapsam audiit; *Francisce, Micæ noctis præterita Evangelii verba sunt, Hostia Regula, lepra vero quorundam iniquitas.*

Ergo Regulam suam in formam brevioris contracturus, cum duobus sociis montem ascendit, ubi in pane & aqua jejunans Regulam conscribi jussit, qualem sibi Spiritus Dei in oratione dictabat. De monte descendens, eam custodiendam tradidit Fratri Eliæ, Vicario suo, qui paucis post diebus hoc scriptum per negligentiam a se amissum esse affirmavit. Franciscus igitur in solitudinem reversus, Regulam illico restituit, tanquam ex ore Dei sibi suggestam. Ea est, quam ab Honorio Papa confirmari impetravit, utque Fratres ad eam observandam fortius incitaret, dicere solebat, nihil se ex proprio arbitrio addidisse, sed omnia conscribi jussisse, prout a Deo sibi revelata fuissent. Porro Regula hoc est Exordium.

*Opusc. p. 170* Fratrum Minorum Regula & vitæ  
*Vading. an. observatione Evangelii, in obedientia*  
*1223. n. 12.* & castitate sine alicujus rei proprietate  
*sita est. Frater Franciscus obedientiam*

& obsequium Honorio Papæ ejusque successoribus promittit. Ex his dispicimus, Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

S. Franciscum semper supremum Ordinis Præpositum, Fratrem Eliam vero, ipsius Vicarium, fuisse habitum. Statuit deinde Regula, soli Ministro Provinciali potestatem esse debere, Fratres Tyrones recipiendi, quibus, postquam maturo eos examini subjecerit, si Instituto aptos inveniatur, dicat; irent, & venderent sua omnia, ac pauperibus distribuerent. At in distributione bonorum postulantis ingressum Fratribus nulla pars sit. Tum Tyronibus detur habitus Probationis, nempe duæ tunicæ sine cucullo\*, cingulum, femoralia, ac palliolum usque ad cingulum dependens. Exacto probationis anno promittant, se Regulam semper servaturos, & exinde tunicam gerant cum cucullo, & si velint, etiam aliam sine cucullo. Quin si necessitas postulet, calceis utantur. Ex Fratrum vestitu paupertas eluceat, & veterem amicum resarciant, benedictentes Dominum. Ceterum alios homines molliter vestitos, & variis coloribus splendentes, aut corpusculum delicate nutrientes non contemnant, nec Dei judicium antevertant. Quilibet se ipsum solum judicet, & vilipendat.

Clerici Officium divinum more Ecclesiæ Romanæ recitent. Laici loco

Ss 3

Pfal-

Id. n. 17.

\* Capuce

S. Francisci.  
Regula

Sæcul. XIII. Psalmodum Matutinorum vicies quater  
 A.C. 1223. *Pater Noster* recitent, quinquies *Pater*

c. 3.

*Noster* ad Laudes, septies ad singulas horas minores, duodecies ad Vesperas, septies ad Completorium, ac præterea pro defunctis orent. Omnes Fratres a Festo Omnium Sanctorum usque ad Natalem Domini jejurent. Qui voluerint, antecedentes quadraginta dies ab Epiphania usque ad Quadragesimam jejurent. Reliquo anni tempore non nisi diebus Veneris ad jejunium obligentur.

c. 4.

Pecuniam nec ipsi nec per tertiam personam accipiant. Nihilominus Ministri & *Guardiani* per amicos suos spirituales ægrotorum necessitati, & vestimentis Fratrum, habita frigoris & Regionis, in qua commorantur, ratione, provideant, ita tamen ut nunquam pecuniam accipiant.

c. 5.

Fratres, qui hoc donum a Deo habent, fideliter laborent, sic ut otium devitent, & Spiritum orationis non extinguant. In mercedem laboris sui corpori humano necessaria sibi & Fratribus suis accipiant, salva humilitate & paupertate, sed pecuniam non tangant. Fratres nihil proprium possideant, nec domum, nec fundum, nec quodcumque aliud, sed memores, quod peregrini sint in hac terra, exeant & magna fiducia eleemosynam petant.

c. 6.

*Hæc illa est sublimis paupertatis virtus,*

*Fra.*

*Fratres carissimi, quæ vobis regnum in Cælo pariet. Ubi-  
cunque obvios Fratres habueritis, amicitia tenera & sincera  
ostendite, quod vere Fratres sitis. Al-  
ter alteri confidenter manifestate, quibus  
rebus indigeatis, & si quis in morbum in-  
cidat, ceteri infirmo ita serviant, ut sibi  
ipsis ægrotantibus ministrari vellent.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1223.

c. 9.

Nullus Fratrum populo Verbum Dei prædicare præsumat, nisi cui Minister Generalis, ad examen vocato, licentiam concesserit. In illa Diœcesi, in qua repugnat Episcopus, non prædicent. Sermo prædicantis sit simplex, castigatus, & ad salutem audientium unice tendens. Paucis verbis naturam vitiorum & virtutum, pœnasque æternas ac cœlestem gloriam exponant. Si cui Deus mentem ingerat ad Infideles proficiscendi, facultatem abeundi petat a Ministro Provinciali, qui eam viris solummodo tanto operi idoneis tribuat.

c. 12.

Omnes Fratres Ministro Generali obedire teneantur. Quo vita functo, Ministri Provinciales & Guardiani in Capitulo Pentecostes successorem eligant. Capitula evoluta semper, plus minusve, triennio, ut visum fuerit, in urbe a Generali præstituta, celebrentur. Si omnes Provinciales & Guardiani arbitrati fuerint, Generalem administrando Ordini parem non esse, alium eligere

c. 8.

Ss 4 tenean-



Sæcul. XIII. teneantur. Soluta Capitulo Penteco-  
 A.C. 1223. stes Provincialibus & Guardianis alia  
 particularia eodem anno celebrare liceat. *Ministri a Papa quemdam Cardinalem Tutorem & Protectorem hujus societatis petant, ut semper Ecclesiæ Romanæ simus omnino subjecti, atque humilitatis & paupertatis Evangelicæ amantissimi.*

6. 7.

Si aliquis Fratrum hujus modi peccatum mortale commiserit, de quo Ordinis statuta præcipiunt, ut reus Ministrum Provinciale adeat, res nullatenus differatur, Minister vero poenitentiam ei injungat, si Sacerdos sit, si ipse non sit, eam a Sacerdote sui Ordinis injungi curet. Inprimis iræ semper potentes sint Fratres, & occasione peccatorum alienorum se ipsos turbari non patiantur, nihil enim magis Caritatem quam hujusmodi affectus lædunt.

6. 10.

Paucos profecto illa ætate in Ordine FF. Minorum Presbyteros fuisse numeratos, conjicere est, cum ne quidem omnes Ministri Provinciales initiati fuerint. Tunc addit Regula: Ministri, quia aliorum Fratrum Servi sunt, eos sæpe invisant, admoneant, & in omni humilitate ac caritate corripiant. Fratres in omnibus, quæ conscientiæ & Regulæ nostræ non adversantur, Ministris obediant. Ministri faciles aures dent cunctis ad se

se accedentibus, quos tanquam Magi-  
 stros suos revereantur. *Etiam atque e-*  
*tiam exhortor, Fratres! cavete vobis a*  
*superbia, a vana gloria, & invidia. Qui*  
*literarum rudes sunt, non cupiant eas*  
*addiscere, sed orationi vacent, atque in*  
*humilitate & patientia exercentur.*

Hucusque S. Francisci Regula.

§. LXIV.

*Ordo de Mercede.*

Eodem anno in Hispania novus viro-  
 rum Religiosorum Ordo, videlicet *Catel. Lan-*  
 de mercede ad Redemptionem Captivo- *gued. p. 675.*  
 rum originem duxit, Auctore Petro No- *Vit. S. Petr.*  
 lasco, in loco, qui *Mansum* sanctarum *Nol. 29.*  
 puellarum prope Castrum novum dice- *Jan.*  
 batur, nato. Cum Rex Jacobus Arago- *Boll. to. 2.*  
 niæ, parente suo in pugna ad Muretum *p. 981.*  
 victo cæsoque, Carcassonæ captivus de-  
 tineretur, ei adhuc adolescentulo, vix  
 enim ad annum ætatis sextum pervene-  
 rat, Simon Montfortius Petrum Nola-  
 scum comitem & moderatorem dedit.  
 Princeps deinde anno millesimo ducen-  
 tesimo decimo quarto, urgente Papa, ut *Indic.*  
 retulimus, ad sua dimissus est. Elapso *Arag. an.*  
 exinde triennio, Petrus ad Regem Barci- *1214.*  
 none tunc commorantem se contulit, &  
 cum jam diu vehementissimo desiderio  
 teneretur, Christianis, a Mauris captis,  
 opem ferendi, Regem juvenem permo-

S s 5 vit,

Sæcul. XIII. vit, ut Instituto Religiosi Ordinis, ad  
 A.C. 1223. hoc opus caritatis destinati, faveret.  
 Quippe Petrus jam tunc non nullos socios ac laboris sui confortes collegerat, quos præcipue excitabat periculum animarum, ne captivi fideles, violenta tentatione & amore libertatis victi, Religionem abjicerent.

vit. S. Raim. Hanc Petri Nolasci mentem confirmavit Raimundus de Pegnafort, tunc  
 7. Jan. Bol. Barcinone commorans, quem Confessarium seu conscientia suæ arbitrum delegerat. Ferunt, una nocte S. Virginem Petro, Raimundo, & Jacobo Regi Aragoniæ conspicuam factam, dixisse singulis, sibi, Filioque suo gratissimum fore, si Ordo Virorum Religiosorum ad redimendos captivos conderetur. Ut ut vero ista sint, novus Ordo, solemnibus Ritu, anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio, die decima Augusti, in Festo S. Laurentii, Barcinone, in Ecclesia Cathedrali, S. Cruci Sacra, præsentibus Rege & frequenti populo, institutus est. Berengario Episcopo Missam celebrante, Raimundus de Pegnafort ad Offertorium pro concione dicens novi Instituti rationem exposuit, ac Petrus Nolascus omnium primus de manu Episcopi Habitu recepit, nempe tunicam, scapulare, & humerale, omnia candidi coloris; super scapulare autem scutum & inserta vexilla

vexilla Aragoniæ, eminente Cruce, conspiciantur. Tum Raimundus Ordinis Constitutiones concinnavit, a Gregorio IX. Papa post annos exinde duodecim, die decima septima Januarii, anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto, confirmatas.

Sæcul. XIII.

A. C. 1224.

Bullar.

Greg. IX.

Const. 9. to. I.

p. 104.

§. LXV.

*Friderici Imperatoris Constitutiones contra Hæreticos.*

Anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, nempe ad Epiphaniam Domini, Hermannus Magister Equitum Teutonicorum, ex Palæstina in Siciliam ad Fridericum Imperatorem profectus, cunctantem ad succurrendum Terræ sanctæ vehementissime excitavit. Jamque Imperator Italiam indeque Germaniam petere animo constituerat, itinere in Palæstinam suscipiendo necessaria paraturus, cum Saraceni, qui in Insula supererant, eum detinuerunt, oblati pactis, quibus sui deditioem facerent. Satis ergo Friderico fuit, Equitum Teutonicorum Magistrum in Germaniam mittere, cum mandatis; Romam in itinere diverteret, & Papæ Epistolam suo nomine redderet. Simul his, ut ostenderet, quanto fervore salvam Religionem cuperet, Constitutiones tres adversus Hæreticos

Godef.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1224.

Append. ad  
Dir. Inquis.  
p. 13.  
P. de Vincis  
1. ep. 25. 26.  
27.

reticos in lucem edidit, in quarum prima hæc ferme continentur. Quicunque ab Ecclesia in quocunque demum Imperii loco damnati, atque ad Judicium sæculare delati fuerint, debitas, ut merentur, pœnas dabunt. Qui comprehensi fuerint, & metu mortis compellente, ad Ecclesiæ Catholicæ sinum redire voluerint, perpetuo carceri, pœnitentiam acturi, addicantur. Judices teneantur illos, quos Inquisitores, a Sacra Sede delegati, aut alii viri, ferventissimi Fidei Catholicæ defensores, deprehenderint, vincire, & arcte custodire, donec eos ultimo supplicio affecerint, prius ab Ecclesia damnatos (\*). Eodem rigore

(\*) Hier redet der Kayser Friederich offenbar von keiner andern als von der römischen Kirche, in welcher allein das Ansehen und die Gewalt ist, die Irrglaubigen zu suchen, zu urtheilen, und zu verdammen. Nur daß die leiblichen Strafen von der weltlichen Obrigkeit zugesüget werden. In den protestantischen Kirchen, weil keine von der andern abhänget, ist dieses Ansehen und diese Gewalt nicht zu finden, daher ist auch keine im Stande, einen Rechtglaubigen von einem Ketzer zu unterscheiden. Wird etwan in Holland ein Lehrsatz verworfen, so erstrecket sich das Ansehen des Ausspruches nur in Holland, und in der ganzen übrigen Welt, wohin Christus

plectantur Hæreticorum Fautores, nisi <sup>Sæcul. XIII.</sup> moniti eis præsidium præstare desinant. A. C. 1224.

Qui in uno loco Hæresis convicti, trans-  
eunt ad alium, ut magis tuto virulentam  
doctrinam spargant, statutas a lege pœ-  
nas dabunt. Tum Imperator prosequi-  
tur: *Illos quoque pœnas morte dare præ-*  
*cipimus, qui, ut vitam servarent, abju-*  
*rata Hæresi, postea violato juramento ad*  
*vomitum redierint. Hæreticis, eorum*  
*Receptatoribus, & Fautoribus beneficium*  
*Appellationis adimimus, atque Hæresim*  
*ex omnibus Imperii nostri finibus elimi-*  
*natam volumus. Quia etiam hoc crimen,*  
*quod ipsi Deo adversatur, majus crimine*  
*læsæ Majestatis humanæ, sancimus, ut fi-*  
*lii Hæreticorum usque ad secundam ge-*  
*nerationem omnibus Beneficiis temporali-*  
*bus & omnibus Officiis publicis, nisi pro-*  
*prios parentes suos deserant, priventur.*  
*Tandem omnibus notum esse volumus,*  
*Fratres Prædicatores & Fratres Mino-*  
*res, quibus in Imperio nostro prædicatio*  
*Fidei contra Hæreticos commissa est, sin-*  
*gulari nostro præsidio gaudere.*

Secunda Constitutio præcipue con-  
tra Patarenos dirigitur, qui ex Longo-  
bardia

seine Lehrer die Wahrheit zu predigen ausgesen-  
det, bekümmert man sich nicht darum. Das ist  
keine allgemeine Kirche, und also die Kirche Chri-  
sti nicht.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1224.

bardia, ubi magno numero erant, in reliquas Italiæ partes, ac in ipsam Siciliam pervaserant, hi damnantur, ignis supplicio digni censentur, atque, sicut in Constitutione præcedente, declaratur, pœnas, læsæ Majestatis reis debitas, ipsis convenire. Tertia Constitutio Friderici in nullo differt a quarto Canone Concilii Lateranensis, anni millesimi ducentissimi decimi quinti, pœnis spiritualibus in temporales mutatis, cum, ut cetera taceamus, loco excommunicationis relegatio ponitur. Tres istæ Constitutiones eadem die vigesima secunda Februarii, Indictione duodecima, nempe hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto datæ, inter Epistolas Petri de Vineis, Friderici Imperatoris Cancellarii, occurrunt; unde satis constat, eas ex ipsius calamo fluxisse.

ap. Rain.

n. 1231. n. 13.

Extat & quarta Constitutio, mense Martio, eodem anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, data Catanæ, ubi tunc omnino Imperator versabatur, atque ad Archiepiscopum Magdeburgensem, Comitem Campaniæ Romanæ & in Longobardia S. Sedis Legatum directa. In qua decernitur, ut in quemcunque, in Longobardia ab Episcopo suo Diœcesano Hæresis convictum, Consul & Senatores illius civitatis illico manus injici jubeant, flammis tradendum, aut

si vi.

si vivum servare maluerint, ceteris ex-  
 emplo futurum, linguam, qua blasphemavit, ei excidant.

Sæcul. XIII. v.  
 A.C. 1224.

§. LXVI.

*Friderici Epistola de Bello sacro.*

Ceterum Epistola, quam Imperator ad Papam dederat, scripta erat in hunc ferme modum: *Ut Deo grati animi argumenta exhiberem, in obsequium S. Crucis obtuli me ipsum, ac præter me etiam opes & Regnum meum Terræ sanctæ consecravi. Te deinde suadente, sanctæ Pater, juravi, me filiam Regis Hierosolymæ, Regni Hæredem, uxorem ducturum esse, dotis præsentis loco æstimans auxilia a te & Fratribus tuis Cardinalibus ad belli sacri successum mihi promissa. Ego enim, sicut novit, inspector cordium, Deus, ad Terræ sanctæ negotium toto mentis affectu convertor. Triremes centum in portibus regni nostri, si necesse fuerit, instructas habebō. Quinquaginta etiam usseria, singula quadraginta milites cum totidem equis devehitura. Cujus operis curam duobus viris Equestribus Teutonicis aliisque viris peritis commisi.*

Usseria seu Visseria quædam navigia, *Du Cange* transferendis præcipue equis apta, dice *sur Villeh.* bantur (\*).

Tum p. 263. n. 14.

(\*) In hoc loco Rainaldus, Eminentissimi Cardini-



Sæcul. XIII.

A.C. 1224.

Rain. n. 7.

Tum Imperator addit: *Per eum etiam* (Magistrum Equitum Teutonicorum) *plenius cognosces, quod illustrissimus Rex Hierosolymorum mihi scripserit, animo se constituisse, ex Germania discedere, quod parum ibi pro negotio Terra sanctæ proficiat. Nam qui prædicant verbum Crucis vilipenduntur ab omnibus, tum quod infimæ sortis homines esse videantur, tum quod nullam vel modicam præstantem Indulgentiæ potestatem habeant. Hinc non sunt, qui eos audiant. Præterea e diversis orbis partibus Principum majorum & potentiorum ad nos literæ pervenerunt, in quibus significant, quod tam Ecclesia quam ego in tanto negotio remisse agere videamur. Rex Franciæ per literas mihi indicavit, quod Magnatibus Regnorum Franciæ & Angliæ nullum propositum esse videatur, Crucem assumendi, nisi prius inter utrumque regnum tales fuerint firmatæ induciæ, ut secure proficisci & redire possint. Plerique vero ex potentioribus Angliæ,*

Cardinalis Baronii Continuator addidit: *De quinquaginta hisce navigiis ad excensum faciendum, exponendasque in terra copias a Frederico comparatis, scribit Godefridus tantæ ea fuisse magnitudinis, ut non solum in iis duo equorum equitumque millia, verum insuper aliorum armatorum millia decem transvehi possent.*

qui olim se signo Crucis addixerant, bo Sæcul. XIII.  
 die obtendunt, se tua auctoritate ab hoc A. C. 1224.  
 voto esse solutos. Itaque pauci vel nulli  
 sunt, per omnes provincias illas, quas  
 Rex Hierosolymæ peragrassè dicitur, qui  
 se ad Crucis ministerium preparare ve-  
 lint. Unde ego huic Principi moram  
 per literas nostras in partibus illis per-  
 suasi trabendam esse. Longiorem, atque  
 eundem tuæ Sanctitatis auctoritate ad per-  
 manendum in Germania incitandum  
 esse, credidi. Nam si recederet, & ma-  
 xime si futura æstate ad ultramarinas  
 partes, ut animo constituit, transfreta-  
 ret, multi, alias militaturi, animum  
 despondebunt. Præterea datis literis pa-  
 tentibus eidem Regi curam injunxi, ut  
 omnes quotquot potuerit, ad Terræ san-  
 ctæ obsequium pertrahat, atque Cruce si-  
 gnatis in regno meo transitum securum,  
 annonam, ceteraque omnia necessaria meo  
 nomine largissime suppeditanda esse pro-  
 mittat. Ecce vero, ut Oriens totus a-  
 gnoscat, quod immutabilem gero volun-  
 tatem promissum consummandi matrimo-  
 nium, & Terræ sanctæ efficaciter suc-  
 currendi, statui, Jacobum, Pactensem in  
 Sicilia Episcopum, navigatione proxima  
 Acriam mittere, qui consensum filia Regis,  
 prout solemnitas exigit conjugalis,  
 coram Legatis tuis exquirat. Erit ita-  
 que Sanctitatis tuæ per Germaniam, Hun-  
 Hist. Eccles. Tom. XIX. T t ga

Sæcul. XIII.  
A. C. 1224.

*gariam & Regna finitima, in Franciam, in Angliam aliasque provincias viros sufficientes & idoneos delegare, præstandæ remissionis peccatorum & Indulgentiæ potestate munitos, qui ad Crucis negotium promovendum audiri debeant & timeri. Legatum etiam cum speciali mandato ad pacem inter Francorum & Anglorum Reges tractandam mittere dignare, & ceteris omnibus ad nostrum negotium spectantibus ita consule, ut nemo amplius negligentia accusetur, ego enim Cælum & terram testes habiturus sum, nihil a me fuisse omissum, quod ad felicem Belli sacri exitum quidquam conferre potuerit. Hæc Epistola Catanæ die quinta Martii Indictione duodecima, nempe anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, data est.*

§. LXVII.

*Raimundus junior Papæ reconciliatur.*

**H**anc Imperatoris Epistolam Pontifex Ludovico Regi Franciæ, qui nuper solium conscenderat, misit, deferente Conrado Cardinale, quem proinde Romanam rediisse cognoscimus. Hunc igitur Pontifex cito remisit ad Regem cum Epistola, in qua dicit: *Pro certo Raimundus filius Raimundi, olim Comitis Tolosani,*

7. ep. 380. ap.  
Rain. n. 13.  
Duchesu. to.  
5. p. 859.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1224.

fani, magnitudinis tuæ potentiam adeo  
 reformidare creditur, ut, si cognoscat,  
 te cunctis viribus tuis contra se uti  
 velle, vim expectare non sit ausurus, sed  
 mandatis Ecclesiæ, ut præscripseris, &  
 ipse pollicetur, obtemperaturus, quod  
 utinam sincera devotione perficiat. Qua-  
 re obtestamur te; ipsum regis commo-  
 nationibus & comminationibus compelle,  
 ut pacem cum Dei Ecclesia querat,  
 terra purgetur ab Hæreticis, Ecclesiis  
 ac viris Ecclesiasticis, de damnis & in-  
 juriis hætenus irrogatis, satisfiat, li-  
 bertati Ecclesiasticæ in futura tempora  
 provideatur, & honori Amalrici Co-  
 mitis Tolosani, cui in hac causa deesse  
 non debemus, consulatur. Si hæc præ-  
 stiteris, ingens, quod expeditioni sacra  
 in Palaestinam nocet, removebis obstacu-  
 lum. Illud quoque te rogamus; Lega-  
 to nostro in iis plenissimam fidem babe,  
 quæ tibi nostro nomine de pace cum  
 Rege Angliæ reducenda dicturus est.  
 Hæc Epistola die quarta Aprilis anno  
 millesimo ducentesimo vigesimo quar-  
 to data.

Raimundus sive Regis Ludovici po-  
 tentia perterritus, sive alio argumento  
 permotus, abjecta omni mora, cum Pa-  
 pa pacem iniit. Nam in quodam Con-  
 silio, seu Parlamento Generali, a Rege  
 Tt 2 die

Gest. Lud.  
 Duchesne to.  
 5. p. 285.  
 G. Nang.  
 1224.

Sæcul. XIII.

A.C. 1224.

to. II. Conc.

p. 289.

die quinta Maji eodem anno Parisiis celebrato, Conradus Legatus nomine Papæ Raimundum Catholicum declaravit, & Indulgentiam, quæ in Concilio Lateranensi contra Albigenfes Hæreticos moventibus fuerat instituta, ad tempus revocavit. At Legatus in negotio rogandæ pacis cum Rege Angliæ nihil impetravit; namque Ludovicus Rex postridie Festi S. Joannis in Territorium Pictaviense profectus est, Regi Henrico arma illaturus.

## §. LXVIII.

*Epistola Papæ de Bello sacro.*

Godef. 1224.

8. ep. 404 405

ap. Ra. 1222.

¶ 1. 2. 3.

Inter hæc cum Legatus S. Pontificis Conradus in Germaniam perrexisset, & Coloniae die Veneris post Pentecosten, scilicet die septima Junii anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto honorifice fuisset exceptus, commissas sibi ad omnes Germaniæ Metropolitas, eorumque Suffraganeos, Epistolas distribuit, in quibus Papa hæc summam dicit: *Ad exercitationem Fidelium Deus Terram sanctam ab Infidelium tyrannide opprimi passus est, atque experturus, si est intelligens, qui ejus ulcisci velit injurias, & pro tot acceptis beneficiis gratias reddere. Quandoquidem innita exinde bona Christi Fidelibus profusa*

fecta sunt. Nam quot erant peccatores delicati, qui rigorem injunctæ sibi vel injungendæ penitentia metuentes, tanquam in profundum peccatorum delapsi, penitus desperabant, nunc vero gratia divina excitati salutare propositum conceperunt, animas suas pro Jesu Christo dare? Quot, o quot alii, pro optima causa morte tolerata, cum palma Martyrii in perpetuum regnaturi sunt? O quot denique alii, ante vel post consummationem susceptæ peregrinationis sancta morte defuncti, in Ordine Confessorum gloriantur? Subdit Papa, Fridericum Imperatorem ducendæ sacræ expeditioni se devovisse, quem in tanto tamque justo bello deserere turpissimum esset. Ceterum missos a se sacros Concionatores ad proponenda in suggestis Ecclesiarum Indulgentiarum præmia, atque obeundæ in Germania Legationis provinciam Conrado Cardinali demandasse. Hæc Legatio successu non caruit, innumeris ex Germaniæ provinciis Cruce signatorum agminibus confluentibus.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1224.

Chron. Aug.  
1225.

§. LXIX.

*Rex Daniæ in carcere.*

Conradus Apostolicæ Sedis Legatus, & Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis juvenem Regem Henricum, in Saxo-

God. 1222.

Chron. Alb.

Stad. Es

Hist. Gent.

Dan. 1223.

T t 3

Sæcul. XIII. Saxoniæ anno millesimo ducentesimo  
 A.C. 1224. vigesimo quarto iter facientem, comi-

tati sunt, ad liberandum Waldem-  
 rum II. Regem Daniæ, quem Henricus  
 Comes Suerinus jam plus mensibus o-  
 ctodecim captivum tenebat. Nam Co-  
 mes ille, duris conditionibus offensus,  
 quas Rex reconciliationem petenti po-  
 fuerat, incautum cum filio suo Walde-  
 maro III, & ipso jam Rege coronato, in  
 Insula *Luitb* structis insidiis intercepe-  
 rat. Correpti ambo in lectis suis, in  
 Felto S. Joannis ante Portam Latinam,  
 die sexta Maji, anno millesimo ducente-  
 simo vigesimo tertio, atque ultra ma-  
 re in Regionem Sclavorum devecti, Ar-  
 ci Suerinensi includuntur. Cum dein-  
 de Antistites & Principes Daniæ nefan-  
 dam Comitum Suerinensium prodicionem  
 ad Papam detulissent, is Epistolam ad  
 Archiepiscopum Colonensem, die pri-  
 ma Novembris anno millesimo ducent-  
 esimo vigesimo tertio dedit, in qua di-  
 cit; multis argumentis se ad defensionem  
 Regis Daniæ suscipiendam teneri,  
 & imprimis, quod Regnum istud singu-  
 lari ratione ab Ecclesia Romana pendeat,  
 eique vectigale sit. Quippe loco suo me-  
 moravimus, Gregorium VII. affirmasse,  
 quod Rex Sueno olim promiserit, seque  
 regnumque suum S. Petro donaturum.  
 Papa Honorius præterea subjungit:

Quam-

S. ep. 82. R.  
 1223. n. 24.

Greg. lib. 2.  
 ep. 51. 75.  
 Sup. Lib.  
 LXIII.

Quamvis Waldemar Rex Crucem palam non ostendet, ea tamen nobis exhortantibus secreto accepta, promisit, se ipsum vel certe filium suum proxima expeditione in Terram sanctam profecturum. Quod si neuter ipsorum iret, centum vel quinquaginta Ordinis Equestris viros missurum esse. Quare Sacra Sedes non minus Regi Daniæ quam aliis Principibus Cruce signatis præsidium debet. Haud aliud prius mihi occurrit exemplum Principis, peregrinantium in Palæstinam Crucem occulte gerentis.

Tum Papa Epistolam prosequitur, ep. 83. laudans Archiepiscopi Colonienſis induſtriam, qua Regem Daniæ libertati reſtituere conatus fuerat, jubetque in poſterum nulli labori parcere. Eidem injungit; Comiti Suerini denunciât; poſt acceptam ſuam Epistolam (ſimul enim Comiti Papa ſcripſit) Regem Daniæ ejuſque filium, intra unius menſis ſpatium liberos certiffime dimitteret. Si vero, addit Pontifex, juſta Comiti adverſus Regem querela eſt, efficiemus, ut ei ſecundum Leges ſatiſfiat. Si refractarius morem non geſſerit, eum excommunicationis cenſura conſtringes, omnibus diebus Dominicis ſententiam promulgari jubebis, & provinciam illam, in qua Rex captivus detinetur, Interdicto Eccleſiaſtico



Sæcul. XIII. *stico subjiçies.* Eundem in modum scri-  
A.C. 1224. psit Papa Episcopis Lubecensi & Ver-  
 denſi, atque Friderico Imperatori, quem  
 hortatur ad hoc crimen ita plectendum,  
 ut cunctos Imperii ſubditos exemplo  
 terreret, rei ſanguinem vero non fun-  
 deret. Sed tunc quidem nec Pontificis,  
 1224. & 25. nec Conradi Legati minæ, nec Archie-  
*Chr. Godef.* piſcopi Coloniensis monita quidquam  
*1224. & 25.* profuerunt; nam Waldemarus Rex an-  
*Hist. Gent.* nos prope tres in carcere hæere coac-  
*Dan. 1223.* ctus, non prius quam anno milleſimo  
 ducentefimo vigefimo quinto, dato ma-  
 gno redemptionis pretio, libera-  
 tus eſt.

